

Preces Deo
O.M. porrectas
enarrat pro
Majestatis Suae
incolumitate.

§. 2. Sed quoniam perspicuo Dei beneficio, sub cuius tutela Regum dies sunt, gravissimum vitæ discrimen feliciter evasisti, et optata corpori tuo salus jam rediit, sicuti Nos jam pridem ad restitutæ valetudinis Tuæ Nuntium, non modo privatim Deo O. M. gratias egimus, verum etiam Ecclesiam hanc S. Antonii Lusitanæ Nationis, dum eam ob causam publicis precibus frequentabatur, palam adivimus, ibique pro Regiæ Personæ Tuæ incolumitate vota Nostra reddentes, diurnam Tibi rerum omnium prosperitatem enixe deprecari non omisimus; ita nunc officii Nostri partes esse putavimus, præsentibus Nostri Literis Majestati Tuæ gratulari; Teque simul hortari, ut in manifesta Omnipotentis Dei protectione, eaque, quam Tibi promeruisti, subjectæ Tibi Nationis observantia, et pietate acquiescens, erecto, et securo Animo ad procurandam Regnorum Tuorum tranquillitatem, et fidelium Populorum felicitatem, studia tua cogitationesque convertas.

Hortatur, ne
a Laicis Magi-
stratibus pro-
cedi permittat
contra Eccle-
siasticas per-
sonas, quoties
eos in scelere
comisso imple-
xos adinveniri
contingat.

§. 3. Porro minime suspicari, aut in Animum inducere possumus, aliquem e seculari, aut e Regulari Clero repletum esse, adeo Christianæ, ac etiam Naturalis Legis immemorem, ut impio, et nefario scelere operam, auxilium, consilium, aut assensum præbuerit. Quod si quis forte id ausus fuisset non dubitarem asserere, eo majorem censendam fore illius culpam, quo major in Ecclesiasticis hominibus esse debet inviolabilitatem legum cognitio; quarum etiam custodiam verbo, et exemplo populis suadere, et commoustrare tenentur. Si tamen eorum quispiam diabolica perfidia in tam horrendum crimen abreptus fuisset, Nos sane de respecta Majestatis Tuæ Religione, et pietate confidimus, Te minime passurum esse per Laicos Magistratus adversus hujusmodi reos ita procedi, ut quod degeneres Ecclesiæ Ministri peccaverint, in ipsius Ecclesiæ injuriam, et dedecus convertatur, ut Sacrarum Legum violatio, publica Canoniarum Legum perculcatione, non sine Fidelium scandalo, vindicari videatur. Longe id fore speramus a Majestate Tua; quam perpetuo Divinæ gratiæ favore gaudentem cupimus, nihilque admittere optamus, quod recti justique fines excedat; nihil, quod cælestem iram, atque vindictam in Te, et in Regnum tuum concitare valeat.

Ecclesiasti-
cam Potesta-
tem, suorum

§. 4. Non deerunt profecto Ecclesiasticæ potestati zelus, et vigor, qui-

Bull. Rom. Tom. I.

bus suorum Ministrorum delicta merito puniat; et simul, quæ fides supereminis Principibus servanda sit, sicuti præceptis docere, et hominum cordibus altius inserere, et inculcare non desinit, ita etiam, justæ severitatis exemplis in transgressores canonicè statutis, luculenter ostendat. Quod nos pro paterna charitate, qua mentem Tuam in Domino amplectimur, scribendum tibi esse duximus; ut dum corporalis valetudinis integritatem Tibi reducem gratulamur, conscientiæ quoque Tuæ, securitati consulere non omittamus. Accipe igitur carissime in Christo Fili Noster hoc ipsum sinceræ benevolentiæ Nostræ pignus, simulque Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, totique Regiæ familiæ amantissimæ impertimur. Datum Romæ die xxii. Februarii 1759. Pontificatus Nostri Anno primo.

Ministrorum
delinquentium
vindictam esse
debere suadet.

XLIII.

Confirmatur Decretum Regis Catholicæ, super translatione Militiæ S. Mariæ de Montesa, e veteri diruto Conventu, ad Palatium del Temple, et super unione reddituum hujus Prioratus, sub novellis reservationibus.

Dat. die 5.
Martii 1759.
Ann. I.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit Carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus, quod ipse alias uti Administrator perpetuus Militiæ Beatæ Mariæ de Montesa auctoritate Apostolica deputatus die xxvi. Augusti Anni MDCCCL. decrevit, ut, atteata omnimoda eversione Conventus ejusdem Militiæ effecta propter terraemotum, qui anno 1748. in Regno Valentia evenit, omnes Fratres dictæ Militiæ, qui in dicto Conventu tunc existebant, et ex ruinis immunes evaserunt, in Regio Palatio del Temple nuncupato memoratæ Militiæ in Civitate Valentia existente sese transferrent, donec et quousque dictus Conventus dirutus, pro commodo, et servitio eorundem Fratrum reficeretur, seu alius Conventus de novo construeretur, et sub inde idem Ferdinandus Rex, accepto prius quod propter translationem Fratrum ejusmodi Militiæ a Conventu diruto ad idem Palatium del Temple Militiæ præfatæ sequitam, ne-

Narratur: Ga-
tholici Regis
decretum: su-
per translatione
Militum S.
Mariæ de Mon-
tesa e veteri
diruto Con-
ventu, ad Pala-
tium del Tem-
ple.

cessarium minime erat, ut Prior *del Temple* nunc ut prius existeret, et totum id, quod ipse Prior *del Temple* ratione sui muneris, seu ratione hujus Prioratus adimplere tenebatur, per Priorem pro tempore existentem ejusdem Conventus, ad hujusmodi Palatium translati, per se ipsum personaliter, seu per alium Fratrem ejusdem Militiæ ab ipso Priore ejusdem Conventus nominandum, adimplere posset, mandavit, ut Prior Prioratus *del Temple* hujusmodi supprimeretur, et titulus Prioris, seu dignitas Prioralis Palatii *del Temple* prædicti, absque ullo tamen annuo reddito, Rectori Curato Ecclesiæ ejusdem Palatii, seu Conventus a Consilio Ordinum, seu Militiarum eligendo, seu nominando, aut proponendo uireretur, et adnecteretur, hac tamen conditione, ut annui redditus ad Priorem seu Prioratum Palatii *del Temple* hujusmodi spectantes, et pertinentes, seorsim deponerentur, ac insuper administrationem reddituum Prioratus Palatii *del Temple* prædicti, Priori pro tempore existenti Conventus ejusdem Militiæ commisit, onere etiam ipsi Priori injuncto reddendi rationes dicte administrationis quolibet anno ejusmodi consilio Ordinum, seu Militiarum, adimpletis omnibus oneribus eidem Prioratui *del Temple* annexis.

Prelaudatus
Catholicus
Rex, redditus
Prioratus *del
Temple*, sub
nonnullis reser-
vationibus,
Conventus de
Montesa asser-
gavit.

§. 2. In hoc rerum statu subinde pro parte tunc existentium Prioris Conventus ejusdem Militiæ, et Editimi Majoris Ecclesiæ ejusdem Conventus ipsi Ferdinando Regi expositum fuit, ut attentis, quoad Priorem prædictum, decore et magnificentia quibus sese exhibere debet, et superfluis expensis, quas enim de necessitate subire oportet propter necessariam et fixam sedem in Civitate Valentis, ad quam Fratres primodicti Conventus translati remanent, et quoad ipsum Editimum Majorem oneribus tum curæ ornamentorum Ecclesiæ ipsius novi Conventus, tum expensarum cere, thuris, et hostiarum injunctis sibi, seu muneri Editimi Majoris, prævia sola assignatione centum, et trium petiarum monetæ istarum partium singulis annis facta, supradictum Prioratum *del Temple* realiter cum omnibus, et singulis illius annis fructibus, redditibus, et proventibus cuilibet eorum uniret, et incorporaret, idem Ferdinandus Rex, captis prius, prævia intelligentia memorati Consilii in præmissis, omnibus necessariis informationibus tam, quoad onera, et rationes propter quas dictus Prioratus

del Temple institutus fuerat, quam quoad illius redditus, et proventus, competentum habuit, quod principalis erectio hujus Prioris *del Temple* fuit illa Capellani Magni Magistri dicte Militiæ tempore, quo in dicto Palatio *del Temple* in ipsa Civitate Valentis habitabant, et residebant Magni Magistri ejusdem Militiæ, cujus ratione idem Palatium *del Temple* habebatur tanquam territorium separatum a territorio, et jurisdictione Archiepiscopi Valentini, quodque annui redditus, et proventus eidem Capellano seu Priori assignati existunt in summa annua trecentarum sexaginta sex petiarum hujusmodi, quarum biscentum viginti ex nonnullis pensionibus annuis super fructibus, redditibus, et proventibus Parochialium Ecclesiarum ad dictam Militiam spectantium per pro tempore existentes earundem Ecclesiarum Rectores, persolvendis, vigore litterarum Apostolicarum sub Plumbo expeditarum, perpetuo reservatis centum, et sexdecim ex tertia decima Testarum vulgo nuncupat, *della partita detta della Olleria nell' orto di Valenza*, reliquæ vero petiæ hujusmodi provenire pergunt ex nonnullis censibus emphyteusis supra nonnullas domus immediate, ac Palatio *del Temple* hujusmodi adhærentes, cum onere celebrationis sexaginta duarum missarum lectarum, et sex anniversariorum in Ecclesia *del Temple* hujusmodi singulis annis facien., et pro illarum, et illorum adimplemento summa decem, et octo petiarum hujusmodi annuarum impendenda est; ita ut demtis dictis decem, et octo petiis, trecentum quadraginta octo petiæ singulis annis liberæ remanent, die xiv. Decembris Anni 1757., prævio etiam voto tunc existentis Prioris Generalis ejusdem Militiæ, præter consultationem memorati Consilii Ordinum, seu Militiarum, mandavit, ut tunc, et pro tempore existenti Priori Conventus Militiæ præfatæ, unirentur, et aggregarentur tam dictus Prioratus *del Temple*, quam illius omnes annui redditus, et proventus ut supra expressi, ea tamen adjecta lege, ut casu, quo dictum Conventum Militiæ de Montesa prædictæ ad alium locum, ut antea, transferri contigisset, ipsa dignitas Prioralis, seu Prior *del Temple* ita cum eisdem facultatibus, et privilegiis exercitii supradictæ jurisdictionis, ac annuis redditibus, et proventibus, quibus antea fruebatur, restitueretur, ac insuper mandavit, ut

Rectores Parochialium Ecclesiarum prædictarum pro tempore existentes absque ulla mora, et excusatione pensiones annuas super fructibus, redditibus, et proventus Parochialium Ecclesiarum hujusmodi Auctoritate Apostolica reservatas tunc et pro tempore existenti Conventus hujusmodi Priori omnino persolverent, eidemque Priori tunc et pro tempore existenti dicti Conventus, injunxit onus exigendi omnes et singulos annuos fructus, redditus, et proventus antea ad Priorem, et Prioratum *del Temple* hujusmodi spectantes, et pertinentes, ita tamen, ut Prior pro tempore existens ejusdem Conventus in sui favorem, prævia reservatione, ut præfertur facta, donec, et quousque Conventus dictæ Militiæ inibi existeret, summam dumtaxat centum viginti petiarum, retento tamen onere celebrandi, seu celebrari faciendi sexaginta duas missas lectas, et sex anniversaria hujusmodi in Ecclesia *del Temple*, superstantem vero summam ducentarum viginti octo petiarum prædictarum Editimo majori tunc, et pro tempore existenti Ecclesiæ Conventus prædicti, singulis annis propria manu tradendam pro expensis vero chori, Sacrarum, et alicujus dictæ Ecclesiæ reparationis erogandam applicaret, et alias pro ut in ejusdem Ferdinandi Regis decreto, uberius dicitur contineri.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Ferdinandus Rex præmissa, quo firmiter subsistant, et servantur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communitur summopere desideret. Nos piis ejusdem Ferdinandi Regis Votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia ut supra expressa, et in decreto ejusdem Ferdinandi Regis edito contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus Litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Au-

ditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Militiæ, et Conventus hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis; privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis superioribus, et Personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub anno Piscatoris die v. Martii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Contrariis derogatur.

XLIV.

Prioribus Constitutionibus Apostolicis confirmatis contra subripientes, asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel particulas consecratas, novas pœnas, strictissime observandas mandat.

Dat. die 6. Martii 1759 Anno I.

Contra hujusmodi delinquentes animadvertunt plures Romani Pontifices, qua de re videnda est Const. Innocentii XI edit. 1677 Martii 12, itemque Alexandri VII edit. 1690 Febr. 19 tandem Benedicti XIV edit. 1743 Martii 5 quarum primæ adsunt in Bullario Mainardi, tertia in altero ejusdem Pontificis.

Clemens Episcopus
Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Gravissimum, atque execrabile scelus, quo nefarii, perditique homines, Religione, ac pietate omni posthabita, divinæque ultionis formi-

De sacrilego hoc crimine alio conquaritur.

Catholici Regis Decretum Apostolicæ auctoritate confirmatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

dine excussa, Angelis ipsis tremendam, venerandamque Dei, et Salvatoris Nostri Jesu Christi in Altaris Sacramento presentiam, majestatemque spernentes, in ipsum, ac sacra, quibus actu asservatur, vasa, rapaces atque sacrilegas manus injicere audent; Cum Romani Pontifices Prædecessores nostri, editis consultissimis Legibus, statisque severissimis pœnis, semper detestati atque insectati sint: Mos, ad illatam Augustissimo Sacramento, ac Deo ipsi atrocem injuriam magis magisque propulsandam, horrendique criminis scandalum ab Ecclesia Dei eliminandum, Apostolico exurgentes zelo, leges ipsas in prophanos hujusmodi violatores deano ferre, et adversus quæcumque effugia, illarum observantiam ac pœnarum omnimodam executionem decernere in Domino judicamus.

Quæ sancita fuere ab Innocent. XI. contra tales delinquentes refert.

§. 2. Alias siquidem Ven. Mem. Innocentius Papa XI. Prædecessor noster ad id reprimendum, motu ejus proprio, perpetua valitura Constitutione, sub Datum apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCLXXVII. Quartò Idus Martii, Pontificatus sui Anno Primo, statuit, et decrevit, ut omnes et singuli utriusque sexus, qui de furto hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, per legitima indicia judicialiter, juxta Sancti Officii Inquisitionis contra hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti regulas, et praxim confessi aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius ordine, seu mandato, Hostiam, sive unam vel plures particulas consecratas prædictas, apud se retinuerint, vel alio transferre, aut exportare præsumperint, condignis pœnis, et animadversionibus pro facinoris atrocitate puniantur; et nisi constiterit non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice, Curie sæculari tradantur, non obstante minori ætate, dummodo vigesimum attingant annum, quibus pœnis etiam mandantes subjectos esse voluit.

Posteriorem memorat Alexandri VIII. Constitutionem.

§. 3. Ejus deinde successor fel. record. Alexander Papa VIII. etiam Prædecessor noster, æquali zelo motus, per aliam suam perpetuo valituram Constitutionem, sub Datum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCXC. Undecima Kalendarum Februarii, Pontificatus sui Anno Secundo, prædictam Innocentii Prædecessoris præfati Constitutionem in omnibus, non modo confirmavit, sed etiam addidit, omnes quascumque et singulas Personas, tam sæculares, quam Eccle-

siasticas etiam regulares, cujuscumque Dignitatis, status, gradus, ordinis, societatis, et instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, et indultis, et quavis speciali nota, et individuatione dignas, nulla prorsus excepta, siquas ex eis, atrocissimi hujus criminis reos esse constiterit, omnibus, et singulis, tum antiquis, tum in dicta Innocentii Prædecessoris præfati innovatis, etiam, quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, et traditionis brachio sæcularis pœnis, omnino, et irremissibiliter obnoxias fuisse, et esse, cognitionemque prædicti sceleris contra eas, ad Ordinarios Ecclesiasticos, et ad Inquisitores contra hæreticam pravitatem, qui juxta ipsius Alexandri, et aliarum quarumcumque, ad favorem fidei, et Officii Sanctæ Inquisitionis hujusmodi Constitutionum editarum formam, et tenorem procedere valerent, et deberent, privative quoad alios quoscumque spectavisse, et spectare: Ac insuper memoratam dicti Innocentii Prædecessoris Constitutionem, cum declarationibus ac dispositionibus præfatis, omnibusque et singulis superius contentis, et expressis contra quoscumque, sive sæculares, sive Ecclesiasticos, etiam regulares, ut præfertur expressos, qui dictas Hostias, vel Particulas consecratas quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsos, vel alios quoscumque, aut de alterius mandato habuerint, seu retinuerint, vel alio transferre, seu transportare præsumperint, super quibus stari voluit iudicio, et interpretationi præfatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Inquisitorum, quibus pariter cognitionem super prædictis reservavit, juxta casum, et personarum circumstantias et qualitates, cum iisdem pœnis, etiam traditionis brachio sæculari, ampliavit et extendit.

§. 4. Postremo vero ejusdem record. Benedictus PP. XIV. immediatus Prædecessor noster, cui horrendæ hujusmodi impietatis magis magisque præcavendæ non minor pectori cura insidebat; per similem Constitutionem, sub datum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo septingentesimo quadagesimo tertio, Tertio Nonas Martii, Pontificatus sui Anno quarto, suprædictas Innocentii et Alexandri Prædecessorum prædictorum Constitutiones, atque omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, et extensiones in illis contentas, Motu ejus proprio, confirmavit, et approbavit: Ac insuper opportune statuit et declaravit circumstantias,

Novam Benedicti XIV. Constitutionem enunciat qua præcedentes confirmantur, et declarationibus additis, ampliatur.

per quas de consecratione Hostiæ vel Particularum a Reo subreptarum constare posset: Ac decrevit quoque, exceptionem non probatæ pravi intentionis Rei, abutendi Sacramento subrepto ad malum, vel sacrilegum finem, inutiliter a Reis, vel eorum Defensoribus proponi, nisi concludentibus, et juridicis probationibus, adstruendis ab ipsis Reis, in quos tale onus refusum esse declaravit, huiusmodi exceptio constabilita fuerit, et justa, ac excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti plene comprobaretur; prout in prædictis Innocentii, et Alexandri, ac Benedicti Prædecessorum prædictorum Constitutionibus, plenius continetur.

Abusus ex nimia indulgentia derivatus enarrat, severitatemque poenarum necessarium demonstrat.

§. 5. Quia vero, ex Ecclesiæ indulgentia ac lenitate, in nostro Inquisitionis Officio mos inolevit, ut si Reus in iudicio constitutus ad primas, et generales Judicis interrogationes delictum suum plene, distincte, ac sincere fateatur, tunc cum ipso, veluti sponte confesso, mitius agatur, et citra ejus traditionem sæculari foro, extremumque supplicium, Triremibus vel Carceri addicatur perpetuo; Cumque ea fortasse indulgentia, graviorumque poenarum mitigatione abutentes sacrilegi homines, a tanto scelere, illiusque frequentia minus deterreantur, atque avocentur: Hoc illis perfugium, et, qua prorsus indigni sunt, misericordiæ, lenitatisque Ecclesiasticæ fiduciam eripiendam existimavimus, ut poenarum severitate, absque remissionis, vel moderationis spe aliqua sibi proposita, tam enorme flagitium patrare exhorrescant.

Confirmat præcedentes Constitutiones illasque plenarie observandas fore jubet.

§. 6. Itaque vestigiis Prædecessorum nostrorum inhærentes, eorumque in gravioribus quibusdam, ac frequentioribus delictis severiori animadversione, ac duriori supplicio mulctandis, exempla sequuti; præcipue dicti Benedicti Prædecessoris, qui celebrantibus Missam, aut fidelium Confessiones excipientibus sine Sacerdotali caractere, sinceram criminis confessionem in prima interrogatione generali factam, ad evadendam poenam traditionis brachio sæculari, in Constitutionibus Apostolicis inflictam minime suffragaturam decrevit: Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, in tota Republica Christiana præfata, contra hæreticam pravitatem, ge-

neralium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio; hac nostra perpetuo valitura Constitutione: In primis memoratas Innocentii, et Alexandri, ac Benedicti Prædecessorum prædictorum Constitutiones (quarum integros tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserti forent, iisdem præsentibus pro insertis haberi volumus) nec non omnes et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, et extensiones, prout illæ et earum singulæ in Constitutionibus prædictis expressæ sunt, ipsarum tenore præsentium confirmamus, approbamus, et innovamus, easque et earum singulas in omnibus, et per omnia, ab omnibus et singulis, ad quos spectat integre, et inviolabiliter observari mandamus.

§. 7. Præterea memoratam Tribunalium nostrorum praxim, atque consuetudinem, hujus execrabilis criminis Reos, in primo eorum constituto confessos, plectendi mitiori poena, itaut juxta memoratas Constitutiones per Nos, ut præfertur confirmatas, brachio sæculari minime tradi debeant; Motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac de eorundem Fratrum consilio, ipsarum tenore præsentium, de medio tollimus, atque abolemus, legitimæque observantiæ vim nullam, deinceps habituram, declaramus: Ac perpetuis futuris temporibus decernimus, atque statuimus, post tres Menses a data præsentium computandos, nulli amplius Clerico, sive laico dicti criminis Reo promeritæ poenæ minorationem aliquam intuitu promptæ apertæque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici fassus fuerit, concedi debere, sive posse: Sed confessione huiusmodi non obstante, omnes singulos in præcedentibus supramemoratis comprehensos, a competente Judice in casibus ibidem expressis, prævia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, et esse Brachio sæculari, debitis poenis, suppliciisque plectendos.

Quamcumque poenarum minorationem prohibet imposterum.

§. 8. Decernentes præsentibus nostras literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel Dignitatis existant, sive alias specifica, et individua mentione et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ, propter quas eadem præsentibus emanaverint, ad-

Plenariam hujus Constitutionis observantiam præcipit.

ductæ verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, et privilegiata causa, colore, prætextu, consuetudine, praxi et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicæ potestatis plenitudine similiter concesso, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvari ullo modo posse: Sed ipsas præsentis semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari.

Clausula sub-
blata, et de-
cretum irri-
tans.

§. 9. Sicque, et non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscumque Iudices ordinarios, et Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Nostrosque, et Apostolicæ Sedis etiam de latere Legatos, seu Nuntios, et in quibuscumque Tribunalibus, et Officiis etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et defini debere, et post lapsum dictorum trium Mensium, etiam quoad abolitionem dictæ praxis, seu consuetudinis, ipsas præsentis ad executionem et effectum omnino perducere debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque, si quæ sint, contrariis quibusvis generalibus vel specialibus Constitutionibus, ordinationibus et decretis, nec non dictorum Tribunalium, et Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus, et consuetudinibus, etiam memorabilibus: Personarumque, Locorum, et Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutum, etiam Militiarum, privilegiis, exemptionibus, et indultis, cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, Apo-

stolica auctoritate concessis, ac pluries confirmatis et innovatis: Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illarum tenores, formas, causas, et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes; illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum plenissime, et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus autem, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentis, et in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere valeat, ipsas præsentis seu earum transumpta ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, et in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, et affigi: sicque publicatas, et affixas omnes, et singulos quos concernunt, seu concernent in futurum perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

Publicationis
modum præ-
scribit, qua
cuncti teneri
debeant.

§. 12. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptio-
rum fides.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, mandati, abolitionis, declarationis, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Poenas etiam
spirituales in
contravenien-
tibus statuit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, Fridie Nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

XLV.

Datum die 10
Martii 1759
Anno I.

Francisco Lotharingæ et Barri Duci, nec non Etruriæ sibi subjectæ magno Duci in Romanorum Imperatorem Electo, per hanc Epistolam commendat ut Lantgravii Hasso-Cassellani parentem, pro Catholicæ Religionis bono in suum patrocinium recipiat.

Summi hujus Pontificis sedulitas pro Christianæ Republicæ bono, habetur ex Pontificiis Literis superius relatis sub Num. XIX. XX. et XLI.

Clemens. Papa XIII.
Carissime etc.

Causa hujus
Epistolæ.

§. 1. **A**udivimus ex Litteris nobis nuperrime redditis, Nobilem virum Lantgravium Hasso - Cassellanum parentem dilecti Filii Nobilis Viri Federici Principis ex illo Primogeniti, morbosa quadam somnolentia sic laborare, ut ejus vires deficient in dies ac proxime de interitu timeatur, quam ob causam collatis inter se consiliis, qui regionis illius regimini præsumunt, industrium hominem miserunt, qui filium conveniret, atque cum Beroliniensi Aula sedulo ageret de sustinenda iniqua illa pactione, cui Primogenitus Princeps, vi ac metu subscribere adactus fuit, postquam Catholicis Sacris addictum se palam ostendit. Evigilavit ad ejusmodi nuncium cor Nostrum, atque contremuit, siquidem prospicimus animo quantam dedecoris, ac detrimenti SSmæ Religionis Nostræ obveniret, si fœdus illud executioni mandaretur, quo non solum inusitatis, atque crudelibus vinculis Catholicus cultus circumscribitur, atque impeditur, verum libertas quoque ipsa, Germanicis legibus Vestris constabilita, ipsum patriæ potestatis, ac naturæ jura læduntur, violanturque.

§. 2. Quamobrem hisce in angustiis positi ad quem alium confugere possumus, præterquam ad Majestatem Tuam, per viscera Domini Nostri Jesu Christi obsecrantes, ne Imperiali suo calculo, pactum illud confirmare unquam velit, sed inclitæ potius Cæsareæ Majestatis robore abroget, atque dissolvat, atque una simul piissimum Principem Virum nullam aliam ob causam tot insidiis appetitum, tot acerbissimis catenis obstrictum, nisi pro-

Bull. Rom. Tom. I.

pterea quod ad verum Christi Ovile reversus est, in suam clientelam recipiat; quod quidem dubitandum non est, quin Deo gratum acceptumque eveniat; ipsi vero Principi Viro jucundissimum: versatur is modo, ut probe novit Majestas Tua, iis in regionibus, ad quas literas Nostras mittere non licet, et si mitterentur, valde periculosum contigeret: quam ob causam, ne calamitatibus suis præsidium deficeret Nostrum, hoc unum facere potuimus, ut Majestati Tuæ, quæ Romani Imperii caput est, Defensor, atque Patronus Catholicæ Fidei, eundem enixe commendarem, ut scilicet Parentem, quem illi Catholica Religio fecit infensum, majori compendio in Religione, atque Clementia Tua benevolum inveniret, Patronumque insimul, quo Orthodoxæ Fidei jura suis in Ditionibus strenue tuerentur: quocirca certa spe freti confidimus, commendationem hanc Nostram, quam Apostolicæ servitutis impositum Nobis, quamvis immerentibus, ministerium expressit, dictavitque paterna charitas, quam pro totius Christiani Populi salute tenemur impendere, a Majestate Tua lubenti animo exceptam iri. Interim Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ die 10 Martii 1759; Pontificatus Nostri Anno Primo.

XLVI.

De Criminibus, et locis, qui Ecclesiastici asyli beneficio juvari minime poterunt in Sardinæ Regno, peculiariter ad illius Regni Archiepiscopos, et Episcopos significat.

Datum die 21
Martii 1759.
Anno I.

Sæpe Summi Pontifices ad crimina compescenda, quoad Ecclesiasticum asylum salutare sanctiones approbarunt, inter cætera videnda superius Constit. relata sub Num. XIV.

Clemens PP. XIII.

Venerabiles fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. **P**astoralis Officii Nostri, licet immerentibus divinitus commissi, sollicitudo Nos admonet, ut Votis præsertim Catholicorum Principum, per quæ Ecclesiasticæ immunitati nihil sit

Summi Pontifices ad publicæ tranquillitatis tutamen, Catholicorum Principum votis assentiunt dummodo Eccle-

Hortatur Imperatorem ut in suam recipiat protectionem Hasso-Cassellanum Principem.

siastica immunitate detrimento non infertur.

detractum, et simul publicæ consultum sit tranquillitati, Apostolicum præbeamus assensum. Sanè, pro parte Carissimi in Christo filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis Illustris, Nobis expositum fuit, quod cum pluries ipsi Carolo Emmanueli Regi, a suis pro tempore existentibus in Regno Sardiniae huiusmodi Pro Rege, aliisque Ministris delatae fuerint querimoniae ob crebra, quae in toto dicto Regno sepè sepius patrantur homicidia, aliaque graviora delicta, quibus multum contribuere solet facilitas, commodumque, quod delinquentes, ac facinorosi viri post patrata gravia crimina, et delicta, ad vitandam debitam poenam, habent confugiendi ad Ecclesias, aliaque loca immunita undique in Regno praedicto existentia, licet nonnulla ex locis immunibus et Ecclesiis huiusmodi debita, qua decet, veneratione minimè habeantur, et custodiantur, ac propterea ipse Carolus Emmanuel Rex ad eliminandum, et penitus praecidendum tam exitiale, et detestabile flagitium plurimum desiderat, ut de benignitate Apostolica declarare dignemur, quae nam sint crimina, et delicta propter quae rei, et delinquentes ad publicam quietem, et securitatem, ne poenam juxta patrata crimina effugiant, Ecclesiasticum Asylum habere nequeant, prout etiam, quae in posterum immunitate Ecclesiastica minimè gaudent.

Alias Summi Pontifices ut publicæ consulere tranquillitati Ecclesiasticam immunitatem imminuere.

Enumerantur rei, quibus denegandum est ecclesiasticum Asylum.

§. 2. Hinc est; quod Nos non minus ex injuncto Nobis divinitus Apostolicæ sollicitudinis munere, quam publicæ tranquillitatis studio post maturam, quam in praemissis habuimus deliberationem, aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, qui, ut hominum perversitati adversarentur, ac publicæ tranquillitati consulere, suum animum indaxerunt plus, vel minus juxta locorum indigentiam, et temporum circumstantiam, beneficium ecclesiasticæ immunitatis imminuere, exempla sectantes, piis ejusdem Caroli Emmanuelis Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia Nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque decernimus in Regno Sardiniae Ecclesiasticum Asylum minimè habere debere reos, et delinquentes infradicendorum criminum nempe = primo = *Quelli, che avranno commesso omicidio, fuorchè si tratti di omicidio casuale, e a propria difesa cum moderamine inculpatae tutelae = secon-*

do = Gli Incendiarij, cioè coloro, che dolo malo et data opera, metteranno, o faranno metter fuoco, o che scienter daranno ajuto, e consiglio a chi mettesse fuoco a qualunque Chiesa, Luogo Sagro, o Religioso, o a qualunque Casa abitabile sita tanto in Città, e Luoghi abitati, quanto fuori di essi; come altresì a Tugurj costrutti ad instar Domorum soliti abitarsi da Contadini, o Pastori, o sopra gli Armenti, o le Greggi, alle Vigne, Seminati, Oliveti, Selve, e qualunque altro Podere alberato, coltivato, e fruttifero: = terzo: = : Coloro, che faranno assassinare, o che per commissione data loro, assassineranno, o che ai suddetti scellerati danno ajuto, o consiglio, quantunque non ne sia seguita la morte; purchè però deventum fuerit ad actum proximum hoc est ad insultum ita ut intervenerit vulnus = quarto = I Grassatori, e Ladri di strade pubbliche, e vicinali, anche per la prima volta, che commettersero un tal delitto, ancorchè senza alcuna offesa del Derubato.

§. 3. Immunitate verò Ecclesiastica minimè gaudere debere = *Le Chiese rurali esistenti fuori delle Città, e Luoghi abitati, nelle quali non si conserva il Venerabile, eccettuato le Parrocchie, e le Chiese filiali delle medesime, nelle quali si esercita la cura delle Anime, con dichiarazione, che tanto rispetto alle suddette Chiese rurali riservate, quanto a riguardo di tutte altre Chiese, che sono in Città, e altri Luoghi abitati, non debba il beneficio dell'Asilo distendersi, quanto all' esteriore, ad altro, che all' Atrio, quando sia circondato di mura, o Portici, Scale, e Porte, tanto anteriori, che laterali, ed alla facciata anteriore solamente. Le Cappelle, e gli Oratorj esistenti nelle Case de' Particolari, e Magnati, quantunque abbiano privilegio di Cappelle pubbliche, e l'adito in strada pubblica: Così parimente tutte le Cappelle delle Fortezze, e Castelli chiusi, ancorchè si conservi in esse il Santissimo Sacramento. I Campanili separati dalle Chiese, e dalle muraglie di esse. Le Chiese dirute, ed abbandonate, o tenute in stato indecente, quando non siano necessarie, o utili al servizio, e cultura spirituale dei Popoli, previa però la profanazione di esse, quali Noi ingiungiamo, strettamente ai Vescovi, e Ordinarij di fare nel più breve tempo, che loro sia possibile. Gli Orti, e Giardini, e altri Luoghi di Chiese, e di qualsivis altra Casa Religiosa, i qua-*

Describantur Ecclesiastica loca quae immunitate gaudere minimè debent.

Et non s'iano circondati da miracole, e non s'ono compresi nella Clausura. Le Botteghe, e le Case attaccate alle miracole delle Chiese, e dei Monasteri, o di qualsivoglia altra Casa Religiosa, quantunque abbiano interna comunicazione con le medesime, purché non sieno comprese nella clausura. Le Case, nelle quali abitano i Sacerdoti, o altri Ecclesiastici, ancorché abbiano l'ingresso nella Chiesa, eccettuazione però le Case, ove abitano i Parrochi, ed altri Ecclesiastici destinati alla cura, e custodia della Chiesa, purché bensì tali Case si abitino da essi stessi, e non da altri, le quali avendo l'immediata comunicazione interiore con la stessa Chiesa, goderanno del Sagro Asilo, non ostante che abbiano la porta con l'uscita in strada pubblica.

§. 4. Ut autem supradictæ Nostræ Ordinationes suum sortiantur effectum, Fraternitatibus Vestris Fratres Archiepiscopi, et Episcopi per præsentibus injungimus, et mandamus, ut unusquisque Vestrum in Vestris respectivè Civitatibus, ac quibusvis Terris, Locis, et Castris Vestrarum respectivè Diocesum congruum tempus arbitrio respectivè vestro per publica edicta, publicasque significationes affigendas, assignandum omnibus reis, et delinquentibus, qui aliquibus in Ecclesiis, locisque immunibus præfatis, quæ in posterum juxta præsentem Nostram Ordinationem immunitate Ecclesiastica minime gaudere debent, de præsentibus ob patrata crimina existunt, et reperiuntur, præfigatis, ad effectum illos inde transferendi ad Ecclesias, et Loca immunita per Nos volita, et declarata, ut præfertur, implorata, obtentaque prius ad præmissum effectum in eorum favorem necessaria securitate a sæculari potestate.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus

Bull. Rom. Tom. I.

quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis quæ hæc Nostris Litteris adversantur, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentibus Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI Martii MDCCLIX. Pontificatus Nostris Anno Primo.

Contrarius derogat, et transumptis fidei habendam esse præcipit.

XLVII.

Confirmantur, ampliantur, et declarantur statuta pro Confraternitate S. Antonii erecta in Ecclesia S. Antonii Civitatis Avenionis, Ordinis Congregationis Canonicorum Regularium S. Antonii Viennensis in Delphinatu.

Dat. die 24. Martii 1759. Ann. I.

Prioratum S. Antonii Viennen. erexit Bonifacius VIII. Const. edit. 1297. Maii 18. Privilegia nonnulla huic Ordini concessit Clemens VII. const. edit. 1523. Nov. 26. Novitiorum admissionem prohibuit, nisi juramentum præstiterint de servanda reformatione Abbatis Generalis, Gregorius XV. Const. edit. 1621. Aprilis 2. Hospitale S. Antonii Viennensis ab Ordinarii jurisdictione exemit Urbanus VIII. const. edit. 1625. Nov. 14. tandem Constit. altera 1634. April. 8. idem Pontifex Constitutiones Congregationis Reformatæ ejusdem Ordinis, confirmavit, ut videre est in Bullario Mancardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

Ad Pastoralis Dignitatis fastigium, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ Sapientiæ atque Clementiæ abundantiam erecti, ea, quæ a Christifidelibus quibuscumque pro salubri Societatum seu Confraternitatum pie, sancteque institutarum uberesque pietatis fructus, Deo adjuvante, atque incrementum dante, proferre jugiter satagentium, directione, feliceque personarum illis adscriptarum in via mandatarum Domini pro-

Exordium.

Mand. Archiepiscopis, et Episcopis ut præfinitur terminus delinquentibus qui modo in asylo reperiuntur pro eorum translatione a locis immunitate destitutis ad alia que in posterum illa gaudere debent.

Clausula subblata, et decretum irritans

gressa, provide, prudenterque constituta et ordinata esse dignoscuntur, ut firma semper atque illibata persistent, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabimus.

Preces porrectae pro confirmatione Statutorum ab Abbate Generali Ordinis S. Antonii Viennens, in Delphinatu conditorum, pro Confraternitate in Ecclesia ipsius Ordinis, et sub invocatione S. Antonii erecta in Civitate Avenionis.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dil. Filius modernus Abbas, seu Præceptor, aut Commendatarius Monasterii, seu Præceptorie aut Commendæ S. Antonii Civitatis Avenionensis Ordinis ejusdem S. Antonii Viennens in Delphinatu; quod cum Abbas Generalis pro tempore existens ejusdem Ordinis, vigore privilegiorum, indultorumque ipsi Abbati Generali, seu Ordini prædicto a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri concessorum, attributorumque, omnimodam jurisdictionem super Ecclesias, Altaria, ac Confratres Confraternitatum, sub invocatione ejusdem S. Antonii in Ecclesiis ejusmodi Ordinis erectas, habeat; ipse vero Exponens accepisset, quod Officiales, et Confratres Confraternitatis S. Antonii prædicti, in Ecclesia supradicti Monasterii seu Præceptorie, aut Commendæ Avenionens, canonice, ut asseritur, institutæ, absque ulla subjectione tum Abbati Generali, tum Superiori locali debita, per seipsos gubernantur, et reguntur, alios Confratres in dicta Confraternitate recipiunt et admittunt, Cameraarii pro tempore existentes, ipsius Confraternitatis annuos redditus, et proventus ad sui libitum impendunt, nullasque rationes, absoluto officio, alicui reddere solent, ipse Abbas seu Superior exponens, ut hujusmodi irreptos abusus, ac præjudicia, quæ ipsi Ordini, illiusque Abbati Generali contra dispositionem privilegiorum hujusmodi inferri videtur, evellere possit, proprium esse duxit, Dilectum itidem Filium Stephanum Gallaud modernum Abbatem Generalem dicti Ordinis præmissorum omnium participem facere, ut leges et statuta pro hujusmodi Confraternitate acomodata, præscriberet, quibus tam Officiales, quam Confratres proprio Superiori locali subjecti remaneant, ipse Stephanus Abbas Generalis, habita prius consideratione privilegii sibi, et Ordini hujusmodi concessis, quædam statuta pro bono dictæ Confraternitatis regimine, gubernio; et administratione condidit, illaque per Officiales, et Confratres prædictæ Confraternitatis, præviis Nostri et hujus S. Sedis approbatione, et Beneplacito; exequenda esse mandavit, tenoris sequentis, videlicet = Rego-
lamento per la Confraternita di S. An-

Tenor Statutorum pro confraternitate S. Antonii in Civitate Avenionis.

tonio di Avignone. In vigore dei privilegii accordati all' Ordine di S. Antonio della S. Sede Apostolica nelle Bolle di Bonifacio VIII., Clemente VII., Gregorio XV., Urbano VIII. ed altri ec. quali privilegii sottomettono le Cappelle, li Altari, e le Confraternite, e Società erette, e da erigersi sotto il titolo di S. Antonio, all'obediencia, giurisdizione, e totale superiorità dell' Abbate Generale di S. Antonio, ed ad istanza del Superiore della Commenderia di Avignone, il quale ci ha rappresentato, che la Confraternita eretta nella sua Chiesa, si governa da lei medesima, e senza veruna dipendenza, riceve dei Confratri, e li moltiplica a suo piacere, senza partecipazione del detto Superiore; li Camerlenghi impiegano le rendite della detta Confraternita come giudicano a proposito, e non rendono alcun conto al detto Superiore. Per ovviare simili abusi, ed impedirne altri, che nel tratto successivo di tempo potrebbero insorgere, Noi stabiliamo il presente Regolamento.

1. La Confraternita di S. Antonio eretta nella Chiesa della Commenderia di S. Antonio di Avignone mostrerà, se ella è autorizzata dalli Abbati Generali di S. Antonio, da quali ella immediatamente dipende; secondo le sopradette Bolle.
2. La detta Confraternita riconoscerà per suo legittimo Superiore il Commendatore di S. Antonio di Avignone, e per contrasegno della sua dipendenza ella pagherà annualmente ad esso una giusta ed adeguata somma secondo le Bolle di Clemente VII.
3. Il ricevimento dei Confratri non potrà farsi senza partecipazione al sudetto Superiore; li soggetti, che si vorranno accettare nella Confraternita saranno presentati avanti di esso, che informato de' loro costumi, li riceverà collè solite preci.
4. L' elezione degli Officiali si farà in presenza, e con aggradimento del Reverendo Superiore.
5. Li Officiali saranno obbligati di render conto annualmente avanti il sudetto Superiore.
6. Li titoli, carte, e denari saranno tenuti in deposito dal Fratello scelto e nominato per Superiore, con il consenso della Confraternita, ed un inventario del deposito sarà rimesso al Superiore.
7. Li Officiali e Confratri non potranno congregarsi assieme, nè decidere sopra alcuno interessante affare, se non in presenza, o senza il consenso del Superiore.
8. Li

» Statuti della Confraternita saranno fra
 » le mani del detto Superiore per farli
 » valere in tempo di bisogno. 9. Sarà
 » permesso al detto Superiore d' esclu-
 » dere dalla Confraternita quelli che nie-
 » gheranno sottomettersi alle presenti
 » Regole. In seguela della supplica pre-
 » sentata dal Commendatore di S. An-
 » tonio d' Avignone, concernente il Re-
 » golamento della Confraternita di S. An-
 » tonio eretta nella nostra Chiesa d' Avi-
 » gnone, vogliamo e comandiamo sot-
 » to l' autorità e buon piacimento del
 » Nostro S. Padre, a cui noi Emilissi-
 » mi ricorriamo, che alli Articoli qui
 » di sopra accennati gli sia data esecu-
 » zione secondo la loro forma e teno-
 » re, e conformemente al nostro de-
 » creto posto in basso della detta Sup-
 » plica fatta in S. Antonio, ed in Di-
 » finitorio li ventinove d' Ottobre mille
 » settecento cinquantotto. Stephanus Gal-
 » laud Abbas Generalis S. Antonii = N. Z.
 » Gussarot Def. Secret. Loco Sigilli.

Approbantur
 statuta ut su-
 pra relata.

§. 2. Cum sicut eadem exposito
 subjungebat, dictus modernus Abbas
 seu Præceptor, aut Commendarius Aye-
 nionæ, præinserta Statuta, quo firmius
 subsistant, et serventur exactius, Apo-
 stolicæ confirmationis Nostræ patroci-
 nio communiri summopere desideret,
 Nobis propterea humiliter supplicari fe-
 cit, ut sibi in præmissis opportune pro-
 videre, et ut infra indulgere de beni-
 gnitate Apostolica dignaremur. Nos igitur
 prædictum Abbatem, seu Præceptor-
 em, aut Commendatarium, specialibus
 favoribus et gratiis prosequi volentes,
 et a quibusvis excommunicationis et in-
 terdicti, aliisque ecclesiasticis censuris,
 sententiis, et pœnis quovis modo et qua-
 cumque de causa latis, si quas forte
 incurrit, hujus tantum rei gratia absol-
 ventes, et absolutum fore censentes,
 hujusmodi supplicationibus inclinati,
 præinserta decreta ab ipso Stephano Ab-
 bate Generali condita, ut præfertur, Au-
 thoritate Apostolica, tenore præsentium
 confirmamus et approbamus, illisque
 inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur
 adjicimus, omnesque et singulos, juris,
 et facti defectus, si qui desuper inter-
 venerint, supplemus et sanamus.

Supra relatis
 statutis, præ-
 scriptionibus, et
 declarationibus
 nonnulla ad-
 duntur.

§. 3. Ad majorem vero explicatio-
 nem præinsertorum statutorum, ab ipso
 Stephano Abbate Generali, ut præfer-
 tur, conditorum, et ad dirimendas qua-
 scumque ambiguitates, quæ in præmis-
 sis in posterum oriri possunt, auctori-
 tate et tenore prædictis, decernimus, sta-
 tuimus, et declaramus, ut Officiales et
 Confratres dictæ Confraternitatis, si an-

tiqua statuta in erectione ejusmodi Con-
 fraternitatis, seu subinde pro bono il-
 lius regimine et gubernio condita re-
 pererint, illa exhibere teneantur, et qua-
 tenus illa præinsertis novis statutis, quæ
 semper habeantur pro reformatione an-
 tiquorum, quæ nova reformatione, in-
 digere noscuntur, ac privilegiis eidem
 Ordini concessis minime adversentur,
 in omnibus, et per omnia observent, et
 observari debeant, si vero antiqua sta-
 tuta hujusmodi, eidem Ordinis prædi-
 cti privilegiis repugnare, ac auctori-
 tate Abbatis Generalis minime condita
 fuisse repererint, illa tanquam nulla,
 irrita, et inania, et nullius roboris, et
 momenti habeant, ac haberi debeant,
 utque diem festum ejusdem S. Antonii
 Abbatis, majori, qua poterunt solemnitate,
 juxta annuos redditus ejusdem Con-
 fraternitatis, ac voluntarias illius Con-
 fratrum pecuniarum collationes juxta eo-
 rum condiciones et qualitates sponte ex-
 hibendas, celebrare teneantur; quod-
 que singulis annis, die Dominica im-
 mediate sequenti festum prædictum, Ca-
 merarii, aliique Officiales ejusdem Con-
 fraternitatis per pluralitatem suffragio-
 rum eligantur; Camerarii vero, aliique
 Officiales pro tempore existentes, abso-
 luto respective munerè unicuique de-
 mandato, intra octo dierum spatium,
 rationes eorum administrationis coram
 omnibus Confratribus antea indictis, et
 convocatis, et in una congregatis, in
 præsentia Abbatis seu Præceptoris, aut
 Commendarii localis prædicti, accurate
 reddant et reddere omnino debeant.
 Insuper funda et capitalia, ac bona ad
 Confraternitatem prædictam nunc et pro
 tempore legitime spectantia et pertinen-
 tia, ac in posterum eidem Confrater-
 nitati donanda et relinquenda, ac per
 eandem Confraternitatem quocumque
 modo acquirenda, nunquam alienentur,
 nec alienari possint, annuosque illorum
 fructus, redditus, et proventus, nisi de
 consensu, et deliberatione Confratrum
 coram ipso Abbate, seu Præceptore,
 aut Commendatario congregatorum in
 quoscumque usus minime impendan-
 tur, et erogentur, neque impendi et
 erogari possint; demum ipsi Officiales
 et Confratres in die festo principali Con-
 fraternitatis prædictæ, annua recognitio-
 ne in signum subjectionis Abbati debi-
 tæ, seu pro annuo canone, seu censu
 unius Candelæ ceræ albæ ponderis unius
 libræ, prout etiam quisque, qui inter
 Confratres hujusmodi Confraternitatis ad-
 scribi et cooptari desideraverit, in die
 sui ingressus candelam ceræ albæ præ-

dictæ, ponderis mediæ libræ, eidem Abbati exhibere et consignare, omnino debeant, liceatque, ac licitum sit ipsi moderno Abbati, seu Præceptorî, aut Commendatario Avenionensi quoscumque Confratres jam adscriptos, qui præscriptis omnibus parere, illaque admittere, et observare, ac ipsi moderno, ac pro tempore existenti Abbati prædicto subjectum esse recusaverit, ab ipsa Confraternitate expellere, ejicere, et ab albo Confratrum delere.

Clausula sublatâ, et decretum irritans

§. 4. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac modernis et pro tempore existentibus dictæ Confraternitatis Confratribus plenissime suffragari, et ab iis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, et alios quoscumque, quavis auctoritate et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, et interpretandi facultate, judicari, declarari, et interpretari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxiv. Martii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno primo.

XLVIII.

Dat. die 26. Martii 1759. Ann. I.

Ampliantur indulta alias concessa Ministris Generalibus et Ex-Generalibus Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum circa Oratorium privatum inter Claustra Conventuum, in quibus pro tempore eos commorari contigerit.

Litteram in forma Brevis Clementis XII. diei 20. Decemb. 1757. vide in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam

Alias Ministro Generali hujus Ordinis indulta fuit facultas celebrandi quotidie per

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Josephus Manes Frater expresse professus, in Sacra Theologia magister, ac Procurator Generalis Ordinis

B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quod alias auctoritate Apostolica sub certis modo, et forma tunc expressis pro tempore existentibus Magistris Generalibus ejusdem Ordinis indultum fuit, ut ipsi in privato Oratorio Domus suæ habitationis intra claustra Conventuum dicti Ordinis, ubi eos pro tempore commorari contigisset, unam Missam pro unoquoque die per se ipsos celebrare libere, et licite possent, et valent, et alios prout in Apostolicis desuper in simili forma Brevis expeditis Litteris, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus uberius dicitur contineri, et subinde rec: me: Clemens PP. XII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die xx. Decembris MDCCXXXVII. expeditas Littera indultum prædictum pro tempore existentibus Magistris Generalibus Ordinis hujusmodi celebrandi in privatis Oratoriis Conventuum dicti Ordinis, in quibus eos commorari contigisset, ut præferatur, concessum ad pro tempore existentes ex Generales ipsius Ordinis, servata in reliquis prædictarum Litterarum forma et dispositione, eadem auctoritate extendit, et ampliavit.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictas Josephus Procurator Generalis, qui (ut asserit) interdum accidere solet, ut Magistri Generales, et ex Generales prædicti nonnullis legitimis rationibus præpediti, vel senio confecti, aut corporis infirmitate detenti, Sacrosanctum Missæ Sacrificium per se ipsos celebrare minime possint, ac propterea Indultum hujusmodi per Nos extendi, et ampliari plurimum desideret. Nos igitur ejusdem Josephi Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus quoque ejus nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, moderno, ac pro tempore existenti Magistro Generali, ac ex Generalibus pro tempore itidem existentibus, ut ipsi in privato Oratorio Conventuum, in quo ipsos pro tempore commorari, vel esse contigerit, Sacrosanctum Missæ Sacrificium sive per se ipsos,

se ipsos in privato Oratorio Conventuum pro prie habitationis.

Eadem quotidianæ missæ facultas, ad ex-Generales Ministros extendit Clemens XII. speciali in id expedito Brevis.

Preces porrectæ pro ampliatione præcedentium indultorum.

Extenditur facultas Ministris Generalibus, et ex-Generales celebrari faciendi quotidie per Sacerdotem quemcumque Ordinis privatis Oratoris.

celebrare, seu per quemcumque alium dicti Ordinis Sacerdotem celebrari facere, libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis dictarum Litterarum forma et Dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis quæ in dictis Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LIX.

Dat. die 1.
Aprilis 1759.
Ann. I.

Confirmatur erectio Universitatis studii in Civitate Leopoli a Regibus Poloniæ facta sub directione Societatis Jesu, et hujus privilegia constituuntur quibus Cracoviensis Universitas præcedenter fruebatur.

Erecta fuit Universitas in Civitate Guatimala ab Innoc. XI. Constit. edit. 1687 Julii 18, itemque altera in Civitate S. Jacobi de Leon de Caracas Indiarum Occidentalium ab Innoc. XIII. Constit. edit. 1722. Augusti 19. ; nec non Universitas in Civitate Camerinensi a Benedicto XIII. Constit. edit. 1727 Julii 1. quæ pronstrant in Bullario Mainardi.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Studium suum promovendi disciplinas præsertim Ecclesiasticas significat.

§. 1. In supereminenti Ecclesiæ solio, nullis licet nostris meritis, sed inscrutabili tantum Divinæ bonitatis consilio constituti, sollicitas animi Nostri cogitationes in id omne intendimus, quod Populorum utilitati, Animarumque saluti, ac Reipublicæ Christianæ incolumitati noscimus profuturum. Quapropter cum litterarum, et scientiarum studiis juvenilis ætas ad veritatem agnoscendam, justitiam colendam, pietatemque sequendam informetur, indeque solertes Dominicæ Vinæ Operarii, egregique Catholicæ veritatis, et Ecclesiasticæ disciplinæ assertores, ac vindices instituantur, idcirco libenti animo Apostolicæ Auctoritatis Nostræ præsidium, et favore impendimus, ut hujusmodi studia ubilibet quantum patitur rerum, et locorum conditio excitentur, ac magis magisque urgeantur.

§. 2. Sane pro parte Dilecti Filii moderni Rectoris Collegii studiorum Societatis Jesu Civitatis Leopoli, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamvis Collegium præfatum, ab assiduorum Professorum dictæ Societatis labore juxta landabile ipsius Societatis institutum, et non vulgarem eorumdem in edocendis bonis artibus, et scientiis peritiam, a juvenibus illarum partium plurimum frequentetur, ac etiam Carissimus in Christo Filius Noster Augustus Poloniæ Rex illustris concessionem, et privilegia alias per cl. mem. Joannem Casimirum dum viveret dicti Regni Regem eidem Collegio elargita, confirmando et approbando, Collegium ipsum regia sua Auctoritate Universitatis titulo, et privilegiis omnibus, quibus Universitas studiorum, seu Accademia Cracoviensis simili regia concessionem gaudet, ornaverit, et gaudere voluerit; Nihilominus si idem Collegium Apostolica etiam auctoritate in publicam, et generalem studiorum Universitatem erigeretur, eique omnia et singula prædictæ Cracoviensis et aliis præsertim Regni Poloniæ Universitatibus studiorum Generalium concessa privilegia, ut infra, tribuerentur, et concederentur, novum ipsi Juventuti, ac Nobilibus Polonis adderetur ad bonas artes excolendas, et studia proséquenda incitamentum. Pro qua quidem erectione, et concessionem Apostolicam, Indulto nostro perficienda, idem Augustus Rex datis, ad Nos Litteris gravissimum Regiæ suæ petitionis momentum, adjecit. Quare pro parte dicti Rectoris Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicti Collegii decori, et ampliori celebritati consulere, nec non Juventuti illarum Partium, ut post sedulam operam studiis ipsis præstitam debitas prærogativas, et præmia ad Dei Gloriam, et Catholicæ, puræque fidei, qua imbuti fuerint, propagationem, et decus assequi valeant, de Apostolica benignitate providere dignaremur.

§. 3. Nos igitur satis perspectum habentes, prædictæ Societatis Alumnos ex proprii Instituti Lege, in id potissimum studiosos labores suos dirigere, ut cum scientiarum doctrina, solidam pietatem Discipulorum Animis inseparant, ac omnium utilium disciplinarum studia, simulque Catholicæ Religionis prospera augmenta, quantum in Nobis est, promovere cupientes, dictum modernum Rectorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-

Preces pro Universitatis Regio placito erectæ, confirmatione.

Leopoliensis Regia auctoritate, erectam Universitatem confirmat, illamque perpetuo Præposito Generali societatis Jesu submittit.

tentiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dictum Collegium Societatis Jesu in prædicta Leopoliensi Civitate jam erectum, et institutum, Regiisque privilegiis, ut præfertur, donatum, ubi Scholæ nunc habentur, seu forsitan in posterum ampliori forma constituentur in publicam studii generalis Universitatem, in qua dictæ Societatis Alumni, et Professores, Grammaticam, Rethoricam, Philosophiam, ac Theologiam scholasticam, et Moralem ac etiam Dogmaticam, et Positivam, Sacrosque Canones, ipsumque Jus Canonicum, nec non per Lectores tamen seculares etiam Jus Civile, aliarumque scientiarum studia profiteantur, et Juvenes quoscumque doceant, Apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium, sine tamen alienius præjudicio in perpetuum erigimus, et instituimus. Ipsumque Collegium sic in publicam Universitatem erectum, et institutum curæ Regimini, et administrationi dictæ Societatis, illiusque Præpositi Generalis pro tempore existentis, et pro eo Rectoris ab ipso deputandi, eodem auctoritate etiam perpetuo subponimus, et submittimus.

§. 4. Ac eidem Universitati sic erectæ, et institutæ, illiusque moderno, et pro tempore existenti Rectori, nec non Lectoribus, Magistris, Scholasticis, aliisque Personis pro ejus Regimine, et Administratione pro tempore deputandis quibuslibet, ut omnibus, et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, et præminentibus prædictæ Cracoviensis, aliisque similibus publicis studiorum generalium Universitatibus, illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Lectoribus, Doctoribus, Præceptoribus, Scholasticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, Officialibus, Ministris, et aliis Personis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et æque principaliter in omnibus et per omnia uti, potiri, et gaudere.

§. 5. Ac insuper prædicto Moderno, et pro tempore existenti Rectori Universitatis, ut præfertur, erectæ hujusmodi per Dilectum Filium moder-

num, et pro tempore existentem Præpositum Generalem dictæ Societatis pro tempore deputando, ut quoscumque ad illam accedentes, ac per debitum tempus ibidem studentes, si scientia, et moribus idoneos esse reperit in omnibus facultatibus, quæ in dicta Universitate, ut præfertur docentur, et leguntur ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturæ laureæ, ac Doctoratus, nec non Magisterii, et quoscumque alios solitos gradus, servata tamen in omnibus Decretorum Viennens. et Tridentini Conciliorum, juxta alias laudabiles quarumlibet publicarum Universitatum consuetudines forma promovere. Illisque sic promotis, ut post promotionem hujusmodi solita insignia deferre, ac gestare, et facultates ad quas promoti fuerint docere, et legere, ac interpretari, in iisque disputare, nec non quoscumque actus gradui, seu gradibus per eos receptis convenientes, ac alias omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis, et indultis, quibus alii in cæteris Universitatibus juxta illarum ritus, et mores ad gradus ipsos promoti de jure, vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum æque principaliter uti, potiri, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, ac respective etiam debeant, et feneantur, eadem auctoritate harum quoque serie concedimus, et indulgemus.

§. 6. Præterea eidem Moderno, et pro tempore existenti Præposito Generali ut pro felici, ac prospero ipsius Universitatis, ut præfertur, erectæ Regimine, et gubernio, ac magis apta methodo, et norma Litteras, et scientias ibidem docendi, statuendisque Religiosis, ac piis exercitiis, quæ per ipsius Universitatis alumnos, et studentes frequentari debeant per se, vel alium, seu alios quacumque statuta, et ordinationes, licita tamen, et honesta, ac Sacris Canonibus, et prædicti Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis minime contraria edere, et promulgare, ac edita, et promulgata pro rerum, et temporum opportunitate mutare, corrigere, et reformare, seu illa cassare, vel abrogare, aliisque de novo condere, addere, et publicare, et pro illorum observatione adversus contravenientes poenas condignas statuere, et statutas pro merito irrogare. Nec non dictæ Universitatis, ut præfertur, erectæ Lecto-

Confirmatæ Leopoliensi Universitati privilegia, honores, et præminentias tribuit, quibus Cracoviensis, cæterarumque Universitates pollent.

Facultas promovendi ad Baccalaureatum, Licentiatum, et Doctoratum.

Rectori Universitatis facultatem impertitur, leges, et statuta condendi, corrigendi, et mutandi, Sacris Canonibus minime contraria.

res, Magistros, Scholasticos, Procuratores, Bidellos, aliosque Ministros, et Officiales eligere, et nominare, ac electos, et nominatos amovere libere, et licite pro sui arbitrio possit, et valeat, plenam, et liberam facultatem eadem auctoritate per præsentes tribuimus, et impertimur. Præterea quibuscumque aliarum Universitatum, seu Scholarum Moderatoribus, et Præsidentibus, Regentibus, Lectoribus, Magistris, et quibusvis aliis etiam Superioribus Personis, ac loci quoque Ordinario, ne Universitatis, ut præfertur, erectæ Rectorem, Lectores, Magistros, Scholasticos, Ministros, et Personas, nec non studentes quovis prætextu per se, vel alium, seu alios super libero iurium ipsius Universitatis, ut præfertur, erectæ, ac privilegiorum ei, etiam ut præfertur, concessorum usu, et exercitio impedire, inquietare, vel molestare quoquomodo audeant, seu præsumant interdiximus, et inhibemus.

§. 7. Decernentes easdem præsentibus, et in eis contenta quæcumque, semper firmas, validas, et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere irritum quoque, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet forsitan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, harum quoque serie specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, indul-

Bull. Rom. Tom. I.

ti, facultatum, attributionis, et impertitionis, interdicti, inhibitionis, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo quinquagesimo nono, septimo Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

L.

Conventus S. Martini ad Montes de Urbe, et S. Antonii Prænensis Ordinis B. M. de Monte Carmelo jam ante a Provincia Romana dismembrati, et Prioris Generalis jurisdictioni immediatæ subjecti, prædictæ Provinciæ Romanæ restituantur.

Dat. die 2.
Aprilis 1759.
Ann. I.

Conventui collabenti S. Juliani de Urbe subrogavit Ecclesiam S. Martini ad Montes Bonifacius VIII. Constit. edit. 1239. Maii 1. et Conventum S. Antonii Prænensis a Provincia Romana dismembravit Urbanus VIII. Constit. edit. 1640. Octob. 20, quæ sunt in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Sacrosancti Apostolatus officium humilitati Nostræ per abundantiam divinæ bonitatis, nullo licet meritum Nostrorum suffragio creditum, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, ad ea per quæ felici, prosperoque Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimini consulitur, libenter intendimus, munerisque Nostri pastoralis partes, propenso desuper studio interponimus, sicut Nos locorum, personarum, rerum, et temporum qualitatibus mature pensatis ad Omnipotentis Dei gloriam, et Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Pontificis studium erga ea, quæ prodesse possunt iis qui Religionis jugo mancipantur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Prior Provincialis, ac Fratres omnes Provinciæ Romanæ, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod alias felicitis re-

Bonifacius VIII. Ordini B. M. de Monte Carmelo Ecclesiam, domusque S. Martini ad Montes concessit in

Clansula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariis.

locum colla-
bentis Conventus
S. Juliani
de Urbe.

cordationis Bonifacius PP. VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas sub Plumbo, datum Laterani, Kalendas Maii, Pontificatus Sui Anno V. expeditas Literas, tunc existentibus Priori Generali, ac Fratribus dicti Ordinis, attento quod Conventus Sancti Juliani de Urbe, in quo Fratres ejusdem Ordinis tunc morabantur, propter dicti Conventus ineptitudinem, qui ruinosus existebat, et ab hominum habitatione remotus, in quo etiam aqua, nisi aliunde ferebatur, haberi minime poterat, remanere commode non poterant, Ecclesiam Sancti Martini in Montibus cum domibus, hortis, et circumpositis officinis, per dictos Priorem Generalem, et Fratres futuris, temporibus perpetuo retinendam, Auctoritate Apostolica, sub certis modo, et forma tunc expressis concessit.

Urbanus VIII.
Conventum S.
Antonii Præ-
nestis a juris-
dictione Prio-
ris Provincia-
lis Provinciae
Romanae exem-
it, et juris-
dictioni Prio-
ris Generalis
immediate sub-
jecit.

§. 3. Pestmodum vero rec. me. Urbanus PP. VIII. Prædecessor itidem Noster, per quasdam suas in simili forma Brevis, die xx. Octobris MDCXL. Motu Proprio expeditas Literas, justis ex causis animum suum moventibus adductus, domum regularem Sancti Antonii Prænestin. Ordinis prædicti, illiusque tunc, et pro tempore existentes Priorem, Fratres, et Conventum, ac res, bona, juraque universa ab omni, et quacumque superioritate, et jurisdictione, visitatione, correctione, cura, et regimine, tunc, et pro tempore existentis Prioris Provincialis Provinciae Romanae memorati Ordinis prorsus, ac omnino, et perpetuo exemit, et liberavit, illamque, et illos, ac illa sic exempta omnimodæ jurisdictioni, superioritati, et gubernio tunc, et pro tempore existentis Prioris Generalis dicti Ordinis immediate in omnibus, et per omnia subjecit, et supposuit, et alias prout in dictis memoratorum Bonifacii et Urbani Prædecessorum Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius continentur.

Praefatorum
Conventuum
dismembratio
maximo detri-
mento fuit Pro-
vinciae Roma-
nae.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes experientia semper compertum habuerint, dismembrationem ditorum duorum Conventuum ab eadem Provincia detrimentosam esse, eaque de causa alias, et præsertim anno MDCCXXX. nihil in expertum reliquerint, ut dictus Conventus S. Martini, quem ad ipsam Provinciam propter quamplurimas legitimas rationes spectare existimarunt, ipsimet Provinciae restitueretur, et licet cognitio causæ hujusmodi cuidam pe-

culiari, tunc existentium Sanctæ Romanae Ecclesiae Cardinalium specialiter deputatorum, Congregationi remissa fuerit, attentis oppositionibus a tunc existenti Priori Generali ipsius Ordinis factis restitutio, seu incorporatio Conventus, prædicti eidem Provinciae denegata fuerit, ac propterea dicti exponentes asserentes restitutionem, incorporationemque memoratorum duorum Conventuum eidem Provinciae, si fiat, in evidentem ipsius Provinciae cessuram esse utilitatem, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attentis voto, et consensu dilectorum filiorum modernorum dicti Ordinis Prioris Generalis, et Procuratoris Generalis Nobis exhibitis, et præstitis, non obstantibus memoratæ particularis Cardinalium Congregationis decreto, seu resolutione, dictisque literis memorati Urbani Prædecessoris tam primodictum Sancti Martini ad Montes, quam secundo dictum Sancti Antonii Prænestin. dicti Ordinis, nec non illorum in illis nunc existentis, ac illorum bona, res, et jura quæcumque, a quacumque superioritate, jurisdictione, cura, regimine, et gubernio peculiari tam moderni, quam pro tempore existentis Prioris Generalis Ordinis hujusmodi, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, ac dictos Conventus Sanctorum Martini ad Montes, et Antonii Prænestin., sic per Nos ab omnimoda jurisdictione, et subjectione dicti Prioris Generalis exemptos, et liberatos, illorumque Priores, Fratres, et personas quascumque, nunc, et pro tempore existentes, nec non illorum bona mobilia, et immobilia, ac quæcumque jura eidem Provinciae Romanae, auctoritate, et tenore præsentis perpetuo unimus, et incorporamus, et quatenus opus sit restituimus, ac si unitos, in-

Conventus
S. Martini ad
Montes de Ur-
be, et S. An-
tonii Præ-
nestis iterum Pro-
vinciae Roma-
nae aggregan-
tur, et Prio-
ris Provincia-
lis jurisdic-
tionis sub-
jiciuntur.

corporatos, et restitutos Conventus omnimodæ, et immediatæ subjectioni, jurisdictioni, curæ, regimini, et gubernio modernî, et pro tempore existentis Prioris Provincialis Provinciæ Romanæ, hujusmodi subijcimus, et supponimus, ac in omnibus, et per omnia, juxta alios Conventus ejusdem Provinciæ, et dicti Ordinis Constitutiones, subiectos esse, et fore decernimus, et declaramus, perpetuumque silentium super præmissis imponimus.

Clausula
Sublata, et
decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariarum.

§. 7. Non obstantibus dicti Urbani Prædecessoris Literis, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis, Superioribus, et Personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Aprilis MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LI.

Prævia Confirmatione Litterarum Apostolicarum Benedicti XIV. super electione Abbatis Generalis, Definitoris, et aliorum Superiorum localium faciendâ a Monachis S. Antonii Congregationis Libanensis, irritat arbitrariam Generalis Capituli convocationem, et electiones in eo factas a quampluribus Monachis inobedientibus, eisque injungit obedientiam novo Abati Generali, aliisque Superioribus electis a Patriarcha Antiocheno, juxta facultates illi tributas a prælaudato Benedicto XIV.

Dat. die 11.
April. 1759.
Ann. I.

Venerabili Fratri Tobiaë Petro Patriarchæ Antiocheno Maronitarum.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater Salutem.

§. 1. Quæcumque a Te Ven. Fr. ut omnimodam, debitamque Apostolicis in simili forma Brevis literis, quas felicitis record. Benedictus XIV. Prædecessor Noster ad Te die 17 Mensis Maii 1757 dederat, executionem dares, gesta sunt pro dilectis filiis Monachis San. Antonii Congregationis Libanensis inobedientibus, ad officium suaviter, fortiterque revocandis, iisdemque exhortandis ad interessendum Capitulo Generali pro Abbatis Generalis, Definitorum, aliorumque super eorum localium electione celebrando, prout in memoratis literis præscribebatur, ea quidem non solum libenter audivimus, verum etiam magnopere probavimus.

Gesta a Patriarcha Antiocheno juxta Literas Benedicti XIV probat.

§. 2. Quamobrem cum iidem Monachi sano consilio minime susceperint, imo in inobedientia perseverantes eoque processerint, ut aliud Capitulum Generale convocare in eoque Abbatem Generalem, Definitores, aliosque locales superiores eligere ipsi per se ausi fuerint; sapienter, et legitime fecisse Fratritatem tuam pronuntiamur, quod juxta laudati Benedicti Prædecessoris literas, ac facultates Tibi in eisdem imperatas ad novi Abbatis Generalis in Persona dilecti Filii Antonii Seiocri, aliorumque Definitorum electionem deveneris. Ex quo certe major et culpabilior evasit prædictorum Monachorum inobedientia.

Legittimas renunciat nominationes ab eodem Patriarcha Antiocheno factas.

§. 3. Quandoquidem Encyclica Fratritatis Tuæ Epistola iterum invitati

Vituperat inobedientiam Monachorum

mandatis An-
tiocheni Pa-
triarchæ.

ad eos solum tamquam generales Reli-
gionis Superiores recognoscendos, qui
auctoritate Apostolica a Fraternitate Tua
electi fuerant, censuris etiam contra
non parentes a te comminatis nihil per-
moti, non modo cum Berytum te con-
tulisti, nemo eorum Fraternitatem tuam
convenit, mandatisque tuis obtempera-
vit, verum etiam Gubernatorum infideli-
um auxilio freti, eo devenerunt, ut
obedientes Monachos ab eorum Mona-
steriis per vim, et hostilem in modum
ejecerint.

Comitit Pa-
triarchæ ut
inobedienti-
bus Monachis
terminum præ-
ficiat ad no-
vos Superio-
res recogno-
scendos.

§. 4. Quapropter prævio Venerabili-
um Fratrum Nostrorum S. R. E. Car-
dinalium Negotiis Propagandæ Fidei præ-
positorum consilio, expediens esse du-
ximus Tibi, Ven. Fr. committere, et
mandare (quemadmodum Apostolica
Auctoritate tenore præsentium reipsa
committimus, et mandamus) ut omni-
bus, et singulis Monachis inobedienti-
bus hujusmodi, eum nostro Nomine in-
dicas, et præscribas terminum tamquam
ultimum, et peremptorium, qui juxta
circumstantias opportunus tibi visus fu-
erit, intra quem ante Fraternitatem Tuam
comparere, et se sistere, atque insimul
vera animi demissione, sinceroque præ-
teritarum culparum dolore, novum Aba-
tem Generalem, aliosque Superiores a
Te auctoritate Apostolica electos, solem-
niter recognoscere omnino teneantur.

Tribuit fa-
cultatem ab-
solvendi a cen-
suris incursis
propter inobe-
dientiam, et
ab irregulari-
tibus.

§. 5. Quod si ita in se ipsi rever-
si, uti futurum in Domino confidimus,
debitam obedientiam pollicebuntur Ti-
bi, Ven. Fr. tenore, et auctoritate pa-
ribus, facultates necessarias tribuimus,
ut ab omnibus censuris, et irregulari-
tibus propterea incursis eosdem absol-
vas, et dispenses. Præterea Fraternita-
tem Tuam maximopere rogamus, et
poscimus, ut præfatis Monachis nostro
nomine significes, quod si quæ ma-
joris momenti, vel ipsorum excusationem,
vel pro suorum Monasteriorum
necessitatibus in medium proferre vo-
luerint, ea ad Nos, et ad laudatam
Congregationem Propagandæ Fidei di-
rigere, et transmittere satagant. Nos enim
non solum eadem paterna prorsus be-
nignitate excipiemus, verum etiam
omnia ea consilia inire curabimus, quæ
ad restituendam, et conservandam in
illorum Congregatione pacem, et con-
cordiam aptiora, et utiliora videbun-
tur.

In inobe-
dientia persi-
stentes, incur-
ses in novis
Censuris, et
Canonicis pœ-
nis declarat.

§. 6. Si vero, elapso prædicto ter-
mino, in inobedientia (quod absit) adhuc
perseveraverint, volumus, et manda-
mus, ut præter omnimodam prætensi
Capituli ab iisdem Monachis inobedien-

tibus celebrati, et electionum in ipso
factarum annullationem, omnes, et sin-
gulos Monachos absque ulla penitus di-
stinctione, qui præfato asserto Capitulo
interfuerunt, in Censuras aliasque Ca-
nonicas pœnas incurrisse declares. Interea
minime dubitamus quin hæc omnia sis
expleturus eodem zelo, prudentiaque,
ac mandata Prædecessoris nostri perficere
studuisti, Deum enixe rogamus,
ut acta utriusque nostrum ad majorem
ejus gloriam intentos secundet, et Fra-
ternitati Tuæ Apostolicam Benedictio-
nem peramanter elargimur. Datum Ro-
mæ die 11 Aprilis 1759 Pontificatus No-
stri Anno Primo.

LII.

Publicantur Literæ Processus in die Cœ-
næ Domini.

Dat. die 29.
Aprilis 1759.
Ann. I.

*Eædem Literæ publicatæ fuerunt a præ-
decessoribus Pontificibus, et signan-
ter a Clemente XI. constit. edit. 1701.
Martii 24. ab Innocentio XIII. Const.
edit. 1722. Aprilis 2. a Benedicto
XIII. constit. edit. 1725. Martii 29,
et pluries in posterum.*

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei
Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis Romani Pontificis vi-
gilantia, et sollicitudo, cum in omni
Christianæ Reipublicæ pace, et tran-
quillitate procuranda pro sui muneris
officio assidue versatur, tum potissimum
in Catholicæ Fidei, sine qua impossi-
bile est placere Deo, unitate, atque
integritate retinenda, et conservanda,
maxime elacet; nimirum, ut Fideles
Christi non sint parvuli fluctuantes,
neque circumferantur omni vento do-
ctrinæ in nequitia hominum ad cir-
cumventionem erroris, sed omnes oc-
currant in unitatem Fidei, et agnitio-
nis Dei, in virum perfectum, neque
se in hujus vitæ societate, et commu-
nitione lædant, aut inter se alter alteri
offensionem præbeat, sed potius in
vinculo charitatis conjuncti, tanquam
unius corporis membra sub CHRISTO
capite, ejusque in terris Vicario Ro-
mano Pontifice, Beatissimi Petri Suc-
cessore, a quo totius Ecclesiæ unitas
dimanat, augeantur in ædificationem,
atque ita divina gratia adjutrice, sic
præsentis vitæ quiete gaudeant, ut fu-

Exordium
ab obligatione
Romani Pon-
tificis conser-
vandi sacram
tectam Fidem
Catholicam.

tura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices Prædecessores Nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione sollemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, et salutaria justitiæ arma, per ministerium Summi Apostolatus, ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, et justitiam, Deo auctore, tueri, vestum, et solemnem hunc morem sequentes :

Excommuni-
cat Hæreticos
cujuscumque
sectæ, eorum
factores, nec
non legentes,
et imprimen-
tes eorum li-
bros; demum
Schismaticos.

§. 1. Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Wicleffistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana Fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, et cujuscumque Sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, factores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Nostra, et Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore: nec non Schismaticos, et eos, qui se a Nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentes obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Item singu-
las Personas,
et Universita-
tes ad futurum
Concilium ap-
pellantes.

§. 2. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdiciamus, ab ordinationibus, seu mandatis Nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

Nec non Pi-
ratas, Cursa-
rios, Latrones-
que maritimos.

§. 3. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrantes Mare Nostrum, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum factores, receptatores et defensores.

Pariterque
Naufragorum
bona in qua-

§. 4. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos, qui Christianorum quorumcumque, Na-

vibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta, in Mari, vel in littore inventa, cujuscumque generis bona, tam in Nostris Tyrheni, et Adriatici, quam in cæteris cujuscumque Maris Regionibus, et littoribus, surripuerint; itaut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum, excusari possint.

cumque Re-
ligione subri-
pientes.

§. 5. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagía, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Nova peda-
gía, seu ga-
bellas impo-
nentes absque
Apostolicæ
Sedis licentia.

§. 6. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Falsarios Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falso publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Falsificantes
Literas Aposto-
licas, easque
falsa publica-
tione auctoritan-
tes.

§. 7. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel hæreticos, per Nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, et Catholicos impugnant: nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholice Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant: non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis Personis, Principibus, et

Arma, et
auxilium præ-
bentes Chri-
stiani nominis
inimicis.

Rebus publicis, per Nos, et Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Omnes impediētes eos, qui victualia, aliaque ad usum Romanæ Curiae deferunt.

§. 8. Item excommunicamus, et anathematizamus, omnes impediētes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiae adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt, per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præminentie, conditionis, et status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant Dignitate.

Persequutores eorum qui ad Apostolicam Sedem veniunt, vel qui in Romana Curia commorantur.

§. 9. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, detinent: nec non illos omnes qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Nec non qui peregrinos ad Urbem devotionis causa venientes quoquo modo molestaverint.

§. 10. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in eis dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Item hostiliter offendentes S.R.E. Cardinales, ceterosque Ecclesiastico grada præminentes.

§. 11. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Diocesis, Territoriis, Terris, seu Dominis ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes etiam universos ad Curiam recurrentes pro eorum Negotiis, vel Causis quomodocunque defendentes.

§. 12. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios, Personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, et negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, et Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quomodocunque percutiunt et bonis spoliunt: seu qui per se, vel

per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque præminentie, et dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam Sæculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolum quandam appellationem a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, sequestrationum, monitoriorum, processuum, exequutorialium, et aliorum decretorum, a Nobis, et a Sede prædicta, seu Legatis, Nuntiis, Præsidibus, Palatii Nostri, et Camerae Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, et Delegatis Apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint, aut alias, ad Curias sæculares, et laicalem potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam Fiscii Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, et alia prædicta, capi, et retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, et Notarii, super hujusmodi litterarum, et processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: Actiam Partes, seu eorum Agentes, Consanguineos, Affines, Familiars, Notarios, exequutores, et Subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, et Regnis, ejiciunt, bonis spoliunt, perterrefaciunt, concutiunt, et comminantur per se, vel alium, seu alios, publice, vel occulte: quive alias quibuscunque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam, accedant, aut recursum habeant seu gratias ipsas, vel literas a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel alias apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Appellantes a gravamine vel futura executione Litterarum Apostolicarum ad laicalem potestatem.

Temere avocantes a Delegatis Sedis Apostolicæ aliisque Judicibus Ecclesiasticis causas beneficiales, et spirituales.

§. 14. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum Gratiarum, et Literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas ab Auditoribus, et Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, avocant; illorumque cursum, et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tamquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt; vel executionem Literarum Apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt; vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant; etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, ac supplicari fecerint; nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur; etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariorum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consilarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcumque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant Dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, ut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæsito colore: Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, et quavis causa, et quovis quæsito colore, ac etiam cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, et pu-

blicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimatur, aut alias quovis modo restringitur, seu Nostris, et dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

§. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, et inferiores Prælatos, et omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte, carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, familiares, nec non consanguineos, et affines, aut alias impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, et Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, et Decreta Conciliorum generalium, et præsertim Tridentini, statuunt. Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque sententias, et decreta, aut alias, fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, et alias Curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata, etiam pœnalia; Ordinariis, et delegatis prædictis decerni, et contra illos exequi procurant: Eos quoque qui hæc decernunt, et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrociniū, et favorem eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus ad Nos, et Sedem Apostolicam, et quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, et alia onera, Clericis, Prælati, et aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, et Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, et proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt: Nec non qui per se, vel alios, directe, vel indirecte, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præminentia, dignitatis, ordinis, con-

Impedientes Ecclesiarum Prælatos, aliosque Judices Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione utantur.

Recurrentes ad Curias sæculares ad eludenda Judicia Fori Ecclesiastici, et in iis auxiliantes.

Usurpantes, et sequestrantes fructus honorum ad Sanctam Sedem, et Ecclesias spectantium.

Imponentes collectas, et alia onera personis Ecclesiasticis, et eorum bonis, nec non fautores, et auxiliatores.

Impedientes executionem Literarum Apostolicarum, aliarumque exemptionum Judicium supradictorum.

Judices sæculares qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia.

Publicantes ordinationes, et pragmaticas, Ecclesiasticæ libertati præjudiciales, etque utentes

ditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, et Terris quoquomodo Præsidentes, Consilarii, et Senatores, aut quavis etiam Ponticali dignitate insigniti: Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, cum censuris, et pœnis in eis contentis.

Judices seculares, qui se interponunt in Causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas.

§. 19. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores, quomodolibet interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiæ: Quique hujusmodi licentiæ ad personas, et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consilarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes Almam Urbem, aliasque Provincias, Civitates, et Loca ad Romanam Ecclesiam pertinentia, jurisdictionemque usurpantes.

§. 20. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte, sub quocumque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, et detinere præsumperint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, et Corsicae, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanæ, Massæ Trabariæ, Romandiolæ, Campaniæ, et Maritimæ Provincias, illarumque terras, et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum Ferrariam, Comaclum, et alias Civitates, terras, et loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta: nec non supremam jurisdictionem in illis, Nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt: nec non adhærentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

§. 21. Volentes, præsentibus Nostros Processus, ac omnia, et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri. Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indulgentiarum, quibuscumque Personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum, Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et Locis Piis, nec non Laicis etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, et innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.

Hanc constitutionem usque ad novam illius publicationem perduraturam fore decernit.

Absolutionem a censuris supra latis, Romano tantum Pontifici reservat.

§. 22. Quod si forte aliqui, contra tenorem præsentium, talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutio- nis beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationis sententia innodamus: gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Excommunicat præsumentes aliquem absolvere contra tenorem præsentium.

§. 23. Declarantes, ac protestantes, quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac, quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex Archiviis, seu Capitularibus Locis, aut Libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, et tolerantiam nostram, vel

Pontificis absolutionem eos tantum comprehendit, qui a præmissis destiterint.

Successorum Nostrorum quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscumque iuribus Sedi Apostolicæ, ac S.R.E. undecumque, et quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Derogat contrariis.

§. 24. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentie fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis, a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem; nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus, quantumcumque longissimis, et aliis, quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos Nostros Processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri: Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Etiam indulto, quod quis excommunicari non possit, nisi facta ejusdem indulti mentione.

Affixionem præsentium in Urbe, vim personalis intimationis habere decernit.

§. 25. Ut vero præsentibus nostri Processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ab ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Annua præsentium publicatio, per

§. 26. Insuper, ut Processus ipsi, et præsentibus literæ, ac omnia, et sin-

Bull. Rom. Tom. I.

gula in eis contenta eo fiant notoria, quo in plerisque Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Prælatibus, ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ obedientie districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentibus literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Ecclesiis suis, dum in eis major Populi multitudo ad divina convenit, solemniter publicent, et ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, et declarent.

quoslibet Prælatos in propriis Ecclesiis ordinatur.

§. 27. Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, et quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant.

Singuli Prælati, et animarum curam exercentes, has Literas penes se retinere debere demandatur.

§. 28. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fidem in iudicio, et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hæc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Poenas irrogat.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, Fridie Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

LIII.

Det. die 27.
Aprilis 1759.
Ann. I.

Confirmatio Constit. Benedicti XIV. super divisione Provinciæ Mediolanensis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, et super alternativa electione Superiorum in dicta Provinciâ.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

Constitutio Benedicti XIV. de qua hic sermo est, habetur in præsentî integre inserta.

Exordium.

Quæcumque ad majorem Regularis disciplinæ observantiam, et Religiosorum Ordinum commodum, incrementum, regimen, et administrationem in Domino conspicimus profutura, ac ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris in præmissis provide emanasse noscuntur, eadem, quo salubrius promoveantur, ac statuta perennius persistent, supremas Apostolicæ procurationis Nostræ partes grato, libentique animo interponere non dedignamur.

Tenor constitutionis Benedicti XIV.

§. 1. Emanarunt nuper a Benedicto XIV. Prædecessore Nostro quædam litteræ tenoris sequentis, videlicet = Benedictus Papa XIV. = Ad futuram rei memoriam = Sacrosancti Apostolatus officium humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio divinitus impositum salubriter exequi, adjuvante Domino satagentes, illa, quæ pro felici, prosperoque Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum regimine, directione, et gubernio provide constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistent, Apostolici muniminis nostri, cum id a Nobis petitur, patrocínio libenter constabilimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Procurator, et Definitorum Generales, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quod cum in Provinciâ Mediolanensi dicti Ordinis post divisionem, et separationem Provinciæ S. Josephi à Leonissa nuncupat. ejusdem Ordinis a Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 18. Decembris 1750. expeditas litteras, quarum initium est = Injuncti Nobis etc. factam, triginta quinque Conventus ex

diversis Nationibus, et Ditionibus remaneant, novo sistemate pro illorum gubernio indigere satis constat, ut æqua munera, et officiorum; quantum fieri potest, distributio statuatur, nec ulla pars, sive Natio despecta, seu suis officiis, et muneribus destituta remaneat; sicque omnium jurgiorum, et quærelarum occasio tollatur: ac pax, charitas, et concordia in perpetuum firmetur in ea, et statuatur. Perpensis itaque, et mature consideratis iis omnibus, quæ spectant ad laudabilem adæquationem, habito etiam, prout decet, rationabili respectu ad quascumque Nationes eandem Provinciâ componentes, quoddam sistema, seu quamdam alternativam in Capitalis dictæ Provinciæ pro tempore habendis in electione Superiorum, et Officialium observandam jam a Dilectis itidem Filiis Ministro, et Definitoribus Provincialibus dictæ Provinciæ ex communi consensu expositam approbarunt; Tenor autem novi systematis seu alternativæ est, qui sequitur, videlicet = Piano formato dal M. R. Diffinitorio della Provinciâ di Milano il dì dieciotto Settembre mille settecento cinquantasei per la buona armonia della Provinciâ medema.

I. Vi saranno in Provinciâ tre Custodie, la Milanese, la Comasca, e la Cremonese. La Milanese comprenderà Milano Concezione, Milano S. Vittore, Abbiate, Cardano, Cassano, Cerro, Erba, Lecco, Melegnano, Melzo, Merate, Monza, Rhò, Tradate, Varese, Verano. La Custodia Comasca comprenderà Como, Bellagio, Bigorio, Chiavenna, Domaso, Faydo, Locarno, Lugano, Mendrisio, Morbegno, Porlezza, Sondrio. La Custodia Cremonese comprenderà Cremona, Casalposterlengo, Lodi, Pavia, Pizzighettone, S. Angelo, Soresina. Con ciò saranno tolte di mezzo la Vicecustodia.

II. Vi saranno in Provinciâ quattro Nazioni: La Milanese, la Ducale, la Comasca, e la Cremonese. La Milanese comprenderà li due Conventi di Milano, quello cioè dell'Immacolata Concezione, e quello di S. Vittore; La Ducale sarà composta di quindici Conventi situati sul Ducato di Milano, compreso quello di Porlezza. La Comasca abbraccerà i tre Conventi del Dominio Austriaco, Como, Bellagio, Domaso, i cinque Conventi del Dominio Elvetico, ed i tre di Dominio Reto, cioè i primi Bigorio, Faydo,

Locarno, Mendrisio; i Secondi Chiavenna, Morbegno, Sondrio. La Cremonese comprenderà tutti e sette li sopradetti Conventi della Custodia di Cremona.

III. = La Nazione Milanese avrà otto Guardiani, e sette Vicarij. Avrà sempre la Guardiania di S. Vittore, a riserva di quando avrà la Guardiania della Concezione; Però detta Guardiania di S. Vittore sia sempre coperta almeno da un Padre Ex Diffinitore, il quale non essendovi, o non potendo esservi a tenore delle nostre Leggi, dovrà surrogarsi un Diffinitore, o Ex Diffinitore di altra Nazione. La Guardiania della Concezione si metterà in perfetto Torno, di cui il primo triennio si è il corrente, in cui è Guardiano un Padre della Nazione Comasca, rimettendosi quanto al rimanente del Torno all' elezione dei futuri Diffinitori: Con che però il Guardiano della Concezione sia sempre come quello di S. Vittore, o attualmente Diffinitore, o almeno Ex Diffinitore.

IV. = La Nazione Ducale essendo composta di quindici Conventi avrà dodici Guardiani, o dodici Vicarii.

V. = La Nazione Comasca essendo composta di undici Conventi avrà dieci Guardiani, e nove Vicarij. In detta Nazione li soli otto Conventi de' due Dominj Elvetico, e Reto contribuiranno al Capo della Provincia una Guardiania delle due, e due Vicarie delle quattro, che perdevano, riacquistando per se l'altra Guardiania, e le due altre Vicarie. Due delli tre Voti riacquistati, siano fissamente de' cinque Conventi del Dominio Elvetico, ed uno delli tre Conventi del Dominio Reto: Alternando la detta Guardiania tra essi, a beneplacito del Diffinitorio, secondo il merito, e l'opportunità de' Soggetti, e considerandosi dette due Nazioni Elvetica, e Reta, quanto più si potrà come indivisa colla sostituzione dei Soggetti dell'una all'altra parte, qualora o l'una, o l'altra parte venisse a mancare. Quando il Provinciale sarà della Nazione Comasca di qualunque dei tre Dominj della medesima, ciascuna parte delle due, che avrà la detta Guardiania, la contribuirà alla Nazione Milanese per l'altra parte, che avrà il Provinciale, ricevendo in vece dalla Nazione, che avrà il Provinciale, una Vicaria. In detta Nazione Comasca, Como, e li due Conventi Bellagio, e Damaso, saranno un Corpo indistinto, ed affatto illési nelle loro tre Guardianie, e tre Vicarie, toltone, quando tal

Bull. Rom. Tom. I.

corpo avendone il Provinciale, dovrà contribuire alle due Nazioni Elvetica, e Reta una Vicaria in luogo della Guardiania da esse all'ora contribuita alla Nazione Milanese.

VI. = La Nazione Cremonese composta de' sudetti sette Conventi di sua Custodia avrà sei Guardiani, e sette Vicarij, rilasciando una Guardiania ai Padri Milanese, ed in caso, che avrà il Provinciale, rilascerà ai Padri medesimi, oltre la Guardiania sudetta, una Vicaria, nel qual caso solo i Padri Milanese si accontenteranno di sette Guardianie, ed otto Vicarie.

VII. = La Nazione Ducale composta di quindici Conventi, accorda ai PP. Milanese tre Guardianie, e tre Vicarie, e quando avrà il Provinciale, accorda un'altra Guardiania.

VIII. = Il Provincialato anderà per Torno, il quale si regolerà in guisa, che a capo di trentanove anni, incominciati dall' elezione del presente Padre Provinciale, le tre Nazioni Milanese, Comasca, e Cremonese avrà ciascheduna tre volte il Provinciale; e la Ducale quattro; E siccome la Nazione Comasca da quarant'anni in circa non ebbe il Provinciale, così nel primo Capitolo sarà la prima ad averlo, regolandosi il seguito del Torno, come segue = Torno del Provincialato = I. = Ducali attualmente = II. = Comaschi = III. = Milanese = IV. = Ducali = V. = Cremonesi = VI. = Comaschi = VII. = Milanese = VIII. = Ducali IX. = Cremonesi = X. = Comaschi = XI. = Ducali = XII. = Milanese = XIII. = Cremonesi.

IX. = Dovendosi necessariamente ad una delle quattro Nazioni componenti la Provincia doppio luogo in Diffinitorio, si è convenuto, che questo doppio debba reglarsi ad un perfetto Torno di dodici anni, compreso nel Torno il corrente triennio, e quanto al seguito, rimettendosi all' infrascritto esemplare = Torno del doppio Diffinitorato = I. = Ducale attualmente = II. = Milanese = III. = Comasco = IV. = Cremonese.

X. = Il Provinciale, e Diffinitori si eleggeranno indifferentemente da qualunque parte delle quattro Nazioni secondo il Torno accordato, senza riguardo a suddivisioni eziandio nella Nazione Ducale più numerosa, alla quale, per questo solo titolo di essere più numerosa d'ogni altra, si concede la doppia della Lettura Scolastica. Le altre tre Nazioni avranno la consueta Lettura Scolastica. Gli Studenti, a tenore del De-

creto emanato dal Rmo Deffinitorio Generale, si promoveranno in ordine di Anzianità.

XI. = I Maestri de' Novizj, si eleggeranno affatto indifferentemente, senza riguardo a Torno, o successione, ma alla maggiore sola idoneità de' Soggetti; e quanto alla continuazione nell' Ufficio, sarà in rimessa de' P. P. Provinciale, e Diffinitori pro tempore, secondo la loro coscienza, il farli continuare, o cessare = Fr. Giannantonio dal Bulciago Ministro Provinciale = Fr. Francesco Antonio da Varese Diffinitore = Fr. Diego da Lugano Diffinitore. = Fr. Paolo Maria da Milano Diffinitore = Fr. Mario da Pizzighetone Diffinitore =. Expositum, superius sistema Provincie Mediolanensis, pro tuenda pace, et æquitate in electionibus ab unanimi consensu omnium Nationum, eandem Provinciam componentium, comprobatum, et acceptatum, Nos pariter approbamus, et quantum ex Nobis est confirmamus, ac firmæ executioni mandandum esse censemus, si Apostolica dispensatione firmetur, prout etc. Datum Romæ ex Deffinitorio nostro Generali die xxx. Septembris 1756. = Fr. Amatus a Lamballa Procurator, et Commissarius Generalis = Fr. Paulus a Colindres Deffinitor Generalis = Fr. Sigismundus a Mediolano Deffinitor Generalis = Fr. Hilarion a Feroletto Deffinitor Generalis = Fr. Joseph Maria a Savorniano Deffinitor Generalis = Fr. Ludovicus a Taurino Deffinitor Generalis = Remissa a Nobis superius expressa instantia Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositæ, suum edidit Decretum tenoris sequentis = Sacra Congregatio Emorum, Rmorum S. R. E. Cardinalium, Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, attento suffragio Emi Cavalchini Præfecti, et præfati Ordinis ad S. Sedem Protectoris, eidem benigne remisit, ut veris existentibus narratis, Oratorum precibus, pro suo arbitrio, et prudentia indulgeat pro petita confirmatione. Romæ 19. Novembris 1756. C. A. C. Cavalchini = Nos Carolus Albertus Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Guidobonus Cavalchini, Sacræ Congregationis, Negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositæ Præfectus, et Ordinis Cappuccinorum apud S. Sedem Protector = Utentes facultate a Sacra Congregatio-

ne, vigore præinserti Decreti Nobis impartita, quum veritatem narratorum in precibus satis compertam habeamus, sistemati superius exposito petite confirmationis robur adjicimus. Ex Ædibus nostris hac die vigesima nona Novembris 1756. Carolus Albertus Cardinalis Cavalchini Præfectus, et Protector etc. = P. H. Guglielmi Secretarius = Loco ✕ Sigilli.

§. 2. Cum autem sicuti eadem expositio subjungebat, d. Exponentes præmissa omnia quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio commuairi sumopere desiderant; Nos ipsos Exponentes, specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, et pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertam alternativam a dictis Ministro, et Deffinitoribus Provincialibus Provincie Mediolanensis propositam, et a Deffinitorio in Superiorum electione non minimam confusionem afferre dignoscuntur, ex injuncto Nobis divinitus Pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, providere, ac incomodis, quæ ex præmissis in ipsa Provincia oriri possint, pro peculiari nostra erga dictum Ordinem charitate, mature occurrere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Benedicti Prædecessoris litteras, omniaque, et singula in eis quomodolibet contenta, et expressa, tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, atque innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ipsasque Benedicti Prædecessoris litteras præinsertas, ac omnia, et singula in eis contenta, et expressa, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, et inconcussa ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit in futurum, quacumque tergiversatione remota, sub indignationis nostræ, ac suspensionis a Divinis, ac privationis officiorum, per quoscumque dictæ Provincie Professores obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia imposte-

Confirmat
Litteras Benedicti XIV., illasque observari præcipit.

Pœnas irrogat contra inobedientes.

rum obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione, incurrendis pœnis, debitæ executioni demandari, ac demandatas observari præcipimus, volumus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus, ac præinsertas Benedicti Prædecessoris litteras, ac in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet cujusvis status, gradus, et præminentiae, Provinciæ præfatæ Alumni, forsitan jus in præmissis, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, neque causæ propter quas tam præinsertæ Benedicti Prædecessoris, quam præsentibus litteræ emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis juridica, legitima, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, et totalis læsionis, ullo umquam tempore de surreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac in excogitabili defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut imperato, seu etiam motu, et potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato, quempiam in Judicio, et extra illud, uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentibus, et præinsertas litteras, et in eis contenta quæcumque, et expressa semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, ac pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et inviolabiliter observari, et adimpleri, neque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, ac definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciæ, et Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque,

Contrariis derogat.

§. 5. Volumus autem, quod præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxvii. Aprilis MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Transumptorum fides.

LIV.

Confirmatio, et quatenus opus sit innovatio Brevis Benedicti XIII. confirmatorii Litterarum Patentium tunc existentis Procuratoris Generalis, ac Commissarii Ordinis B. M. de Monte Carmelo, quibus præscribitur modus faciendi adfiliationes in Conventibus Provinciæ Gallo - Provinciæ.

Dat. die 28. April. 1759. Ann. I.

Breve Benedicti XIII., de cujus hic agitur confirmatione, non reperitur impressum in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Lazarus Pautier Prior Provincialis, nec non Definitores Provinciæ Gallo - Provinciæ, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod alias tunc existentes Fratres ejusdem Provinciæ, obtentis prius, a tunc pariter existente Procuratore Generali, ac Commissario dicti Ordinis, patentibus

Narratur obtentis Pontificia approbatio litterarum patentium circa adfiliationes.

literis, quibus concessa erat facultas instituendi, ac stabiliendi, adfiliationes in omnibus ipsius Provinciae Conventibus, juxta morem, et consuetudinem in Provinciis Italiae, et Conventu Parisien. Ordinis praedicti vigentem, illarum confirmationem sibi concedi obtinuerunt, per quasdam in simili forma Brevis expeditas Literas tenoris sequentis videlicet = Benedictus Papa XIII. = Ad futuram etc. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciae Gallo - Provinciae Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, quod, cum dicta Provincia, quae viginti Conventibus constat, grassante inibi per biennium pestilentia, innumera damna passa fuisset, aliaque detrimenta ob temporum calamitates, ac rerum vicissitudines, tum in spiritualibus, tum in temporalibus accepisset, ita ut dicti Conventus ad summam inopiam, cum non levi disciplinae Regularis jactura, redacti forent; ipsi exponentes ad ejusmodi malis prospiciendum, ac rectum in eisdem Conventibus gubernium temporale instaurandum, Religiosamque observantiam restituendam, nihil opportunius fore existimantes, quam adfiliationes in singulis dictae Provinciae Conventibus, juxta consuetudinem in aliis Ordinibus Regularibus, ac etiam ipso Ordine Beatae Mariae de Monte Carmelo in Italia vigentem constituere, ac stabilire, ad dilectum filium modernum ejusdem Ordinis Priorem Generalem, pro impetranda ad id licentia, recursum habuerunt, quo absente, dilectus filius Antonius Josephus Amabilis Feydeau Procurator, et Commissarius Generalis Ordinis praedicti, re prius cum ipso Priore Generali communicata, Exponentibus praefatis, adfiliationes hujusmodi faciendi facultatem, sub certis conditionibus concessit, pro ut ulterius continetur in ejus patentibus literis desuper emanatis tenoris, qui sequitur, videlicet = Apographum Literarum Patentium Reverendi Patris Prioris Generalis, et Commissarii totius Ordinis ad Commissarium, Provinciales, caeterosque gremiales Capituli Provincialis Provinciae circa adfiliationes etc. = Frater Antonius Josephus Amabilis Feydeau Sacrae Theologiae Magister, et Doctor, humilis Procurator, et Commissarius Generalis totius Ordinis Fratrum Beatissimae semper Virginis Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo, antiquae observantiae Regularis. Dilectis in Christo Reverendis admodum Patribus Praesidi, seu Commissario Generali Capi-

Tenor Brevis Benedicti XIII. de cuius confirmatione hic agitur.

Referuntur Literae Patentis circa adfiliationes.

tuli Provincialis proxime celebrandi in Provincia nostra Provinciae, Provinciali noviter electo, Provinciali absoluto, Definitoribus, aliisque usu, consuetudine, vel privilegio Venerabile Definitorium componentibus salutem etc. Consilium ac assistricem Dei Sapientiam in agendis; Cum Nobis in absentia Rmi Patris, ad visitationes suas in Regno Neapolitano occupati, rectas intentiones vestras circa hujusce Provinciae restaurationem, multum a peste per duos annos in Provincia Vestra grassante, tum adversis Negotiorum circulationibus, ad summam penuriam reductae, ac in temporalibus totaliter fere deperditae, ac ad eam perfecte resarciendam tamquam medium altissimum in singulis Conventibus adfiliationem Religiosam proposueritis; hinc est, quod habito prius verbo cum Rmo Patre, facultatem tenore praesentium Vobis facimus, praedictam adfiliationem una die proponere, ac post maturam deliberationem altera die definire, ac determinare sub his conditionibus necessario adimplendis. 1. Quod non obstante praefata adfiliatione, ita filii, vel affiliati uniuscujusque Conventus bono intenti sint, ut bonum totius Provinciae commune non deserant, aut negligant. 2. Quod non sint inter vos scissurae, divisiones, aut schimata. Si quidem unus est Christus vobis imperans, una Dei Genitrix Virgo Vos protegens, una Religio Vos instruens. 3. Quod non poterunt amoveri a praedictis suae adfiliationis Constitutionibus, nisi ob scandala gravia, utpote rebellionis publicae, ebrietatis notoriae, post tertiam monitionem, ac incontinentiae contra votum castitatis cum scandalo. 4. Quod praedicti filii, et affiliati ob praedicta scandala a suis Conventibus amandat, nullum habeant jus repetendi suos respective Conventus, nisi post emendationem rite probatam, ac consensum Venerabilis Definitoris in scriptis, vel saltem Provincialis, qui Religiosos ita dimissos ad alios Conventus remittere valebit, eosque Superiores dictorum Conventuum, ad quos ipsi remittentur, omnino recipere debeant sub poena depositionis ab Officio. 5. Quod Electiones Priorum, Subpriorum, Magistri Novitiorum, quos ex usu, et consuetudine Provinciae Vestrae fiunt in Definitorio, sicut et Professorum, Lectorum, aliorumque Officialium poterunt cadere in filios, vel adfiliatos cujuscumque sint adfiliationis. 6. Quod cum usque dum nullae fuerint in Pro-

vincia Vestra speciales adfiliationes, pro hac vice spectabit Venerabili Deffinitorio unicuique specialem assignare adfiliationem, servatis in quantum fieri poterit, legibus justitiæ distributiæ, et in posterum omnes, Conventum, in quo, vel nomine cuius, suam solemnem emittent professionem, pro suæ adfiliationis Conventu habebunt. Sub his igitur clausulis, quas volumus in perpetuum observari, ac toti gremio Capituli Provincialis intimari, proponi, significari, et subsignari, ac subsignationis, et acceptationis actum authenticum ad Nos transmitti, prædictam vestram adfiliationem creamus, instituiamus, confirmamus, ac roboramus. Omnia vestra in charitate fiant. Datum in Conventu Nostro Sanctæ Mariæ Transpontinæ Romæ die 12. Aprilis anno 1726. Fr. Antonius Josephus Amabilis Feydeau Procurator Generalis Carmelitarum Loco ✕ Signi Fr. Carolus Maria a S. Josepho Socius, et Secr. = Cum autem: sicut eadem expositio subjungebat, dilecti filii Præses, Prior Provincialis, Deffinitores ceterique Vocales, Capituli Provincialis diætæ Provinciæ Mense Majo proxime præterito celebrati, enarratas conditiones non modo acceptaverint, sed ultro, ac libenter amplexi fuerint, ipsi vero exponentes præmissa, quo firmissime subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communi plurimum desiderant. Nos eosdem Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes; et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes; supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas memorati Antonii Josephi Amabilis Procuratoris, et Commissarii Generalis patentes literas, cum omnibus, et singulis in eis contentis, Auctoritate Apostolica, tenore præsentiam confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsertes Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffra-

gari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, Conventuum, Provinciæ, et Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Januarii Millesimo septingentesimo vigesimo Septimo Pontificatus Nostri Anno Tertio.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, propter nonnullas tunc irreptas difficultates, in unico dumtaxat Civitatis Avenionen Conventu Provinciæ hujusmodi præscripta, seu concessa adfiliatio exequuta, et stabilita fuerit, cujus quidem utilitas quoad utrumque propositum finem, per Dei misericordiam omnibus conspicua existit, ipsi exponentes experientia compertum habeant, quod interim aliorum ejusdem Provinciæ Conventuum ingravescit angustia, ac proinde resolutis tunc, seu aliis inde subortis difficultatibus prædictis, ut idem Conventus Avenionen de præsentii reflorescere videtur, alii quoque ipsius Provinciæ Conventus fiant uniformes, præinsertas Literas per Nos confirmari, ac adfiliationes prædictas per Nos concedi, seu illas ad omnes Conventus prædictos extendi, et ampliari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et

Preces porrecte, ut supra relatum Benedict. XIII. Breve ad omnes Conventus Provinciæ Gallo-Provinciæ extenderetur.

ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignemur.

Supralaudatum Breve confirmatur, extenditur, et quatenus opus sit innovatur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Censuris, Sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas memorati Benedicti Prædecessoris Literas, ac omnia, et singula in eis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis rebur adjicimus, ipsasque Benedicti Prædecessoris Literas, et in eis contenta hujusmodi adversus quemcumque non usum, seu desuetudinem, et inobservantiam, nec non quemvis abusum, et contrarium usum, contrariamque observantiam, quantolibet tempore tolleratam, in integrum, et pristinum statum auctoritate, et tenore præsentis restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus, ac quatenus opus sit innovamus, et de novo, ut adfiliationes prædictæ, juxta formam, et tenorem in dictis patentibus tunc existentis Procuratoris Generalis, et Commissarii, ac Benedicti Prædecessoris prædicti Literis expressum, et contentum fiant, concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciæ, Conventuum, et Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis, Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irri-

tantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Aprilis Millesimo Septingentesimo quinquagesimo nono Pontificatus Nostri Anno primo.

LV.

Clementi Augusto Archiepiscopo Coloniensi S. R. I. Principi Electori, absolutionem a juramento imperitum præstito ab illius Ministro, in subscribendis cum Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, nonnullis illegitimis conventionibus, antequam idem Clemens Augustus, per legitima suffragia ab iisdem Canonicis, Archiepiscopis renunciatus fuisset.

Dat. die 5. Maii 1759. Ann. 1.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Eam sane, Venerabilis Frater, quate prosequimur Apostolica Charitate, excepimus humanissimas Fraternalitatis Tuæ Litteras, quibus supplex a Nobis exposcebas, ut conscientiæ Tuæ angoribus, per Pontificiam Potestatem Nostram, opportune consulere, super jurejurando per Ministrum Tuum, tuisque Mandatis instructum, præstito, in subscribendis, Tuo jussu ac nomine, nonnullis illegitimis conventionibus inter Fraternalitatem Tuam, et Canonicos istius Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis servandis, antequam Archiepiscopus Coloniensis per eosdem Canonicos, jus, et suffragium eligendi habentes, renunciatus fuisset. Nos autem postquam rem expendimus, cum Fraternalitate Tua benigne egimus, precibusque Tuis anhelimus, quemadmodum ex supplici libello, in hisce Nostris in forma Brevis literis, alligato, plenius accipies. Huic autem Apostolicæ benignitati Nostræ, adjungimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Venerabilis Frater, ex Animo impertimur. Datum Romæ die 5 Maii 1759 Pontificatus Nostri Anno Primo.

Expositio facti, et benigna Pontificis absolutio.

LVI.

Dat. die 5.
Maii 1559.
Ann. 1.

Facultatem tribuit Nuntio Poloniae conferendi tres Canonatus in Cathedrali Ecclesia Gnesnen, primo vacaturos in Mensibus Apostolicae Sedi reservatis, et ad Episcopi nominationem, sub lege tamen expediendi Apostolicas Literas sub plumbo, intra octo menses a die collationis.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem

Preces porrectae ab Archiepiscopo Gnesnen. pro nominatione ad tres Canonatus in sua Cathedrali Ecclesia.

§. 1. **E**gregia Venerabilis fratris Uladislavi Archiepiscopi Gnesnen in Nos, et Apostolicam Sedem fidei, et devotionis merita poscunt, ut ea illi libenter concedamus, per quae erga personas istarum partium sibi gratas, et acceptas, se beneficium exhibere possit, et liberalem; Supplicationibus itaque ipsius Uladislavi Archiepiscopi Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut tres Metropolitanæ Ecclesiae Gnesnen Canonatus, et Præbendas, quos in Mensibus nostris, et dictæ Sedis Apostolicæ dispositioni reservatis, per obitum illos obtinentium primo vacare contigerit, personis idoneis dicto Uladislao Archiepiscopo, ut præferatur, gratis, et acceptis, ac alias specialiter nominandis, quæ in primis in Catholica Fide constantes sint, Auctoritate Nostra Apostolica conferre, et de illis etiam providere, ipsasque personas, vel earum Procuratores, earum nomine, in corporalem possessionem Canonatuum, et Præbendarum huiusmodi per te ipsum vigore presentium illis conferendorum, iurumque, et pertinentiarum quorumque inducere, et inductos defendere, ac quoscumque illicitos detentores ab illis amovere, sibi que de illorum fructibus redditibus, proventibus iuribus et obventionibus integre responderi, aliaque in præmissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, nec non contradictores quoslibet per censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescere libere, et licite possis, et valeas, facultatem auctoritate prædicta, tenore presentium concedimus, et impertimur.

Facultas tribuitur Pontificio Nuntio in Polonia conferendi tres Canonatus ad quos Episcopus Gnesnen. idoneas personas nominaverit.

Clansula sublata et detestum irritans

§. 2. Decernentes, collationes, et provisiones per te de dictis Canonatibus,

Bull. Rom. Tom. I.

et Præbendis, ut præferatur, faciendas perinde validas, firmas, et efficaces existere, et fore in omnibus, et per omnia perinde ac si a Nobis, metipsis factæ fuissent, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac præsertim Cancellariæ Apostolicæ Regulis, dictæque Metropolitanæ Ecclesiae Gnesnen, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis, quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 4. Volumus autem, quod ii quibus Canonatus, et Præbendas huiusmodi contuleris, infra octo menses a die illorum collationis, et provisionis computandos, novas provisiones super illis a Nobis, et Apostolica Sede impetrare, et literas Apostolicas sub Plumbo desuper expedire, Juraque Cancellariæ, et Cameræ Apostolicæ, aliisque propterea debitis, persolvere omnino teneantur, alioquin, elapsis eisdem mensibus, Canonatus, et Præbendæ huiusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque aliis per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dumtaxat, libere conferri, nisi provisi legitimo impedimento detenti, de huiusmodi legitimo impedimento coram Datario Nostro constare fecerint, vel ipsis petentibus novas provisiones huiusmodi, et protestantibus, quod per eos non stat, contigerit illas eis denegari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Decima quinta Maii Millesimo Septingentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri Anno primo.

Provisis de tribus Canonatibus injungitur obligatio expeditionis Apostolicarum Literarum sub plumbo, intra octo Menses a collatione, sub privationis poena.

LVII.

Dat. die 15.
Maii 1759.
Ann. I.

Confirmantur decreta Congregationis Concilii in Causa jurisdictionis vertente inter Abbatem Generalem Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, et Episcopum Caputaquen.

Congregationem hanc approbavit Cælestinus III. Constit. edit. 1197. Novembris 4. Eidem exemptiones, et immunitates concessit Urbanus IV. constit. edit. 1263. Jan. 9. itemque usum Mitræ, Baculi, indultum Benedictionis solemnem, et cætera Pontificalia concessit idem Pontifex constit. altera 1263. Septembr. 12. ut videre est in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

Exponuntur
capita contro-
versis jurisdic-
tionalis.

§. 1. **N**uper pro parte dilecti filii moderni Abbatis Generalis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis, Nobis expositum fuit, quod cum alias lis verteret in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inter ipsum Abbatem Generalem ex una, et Venerabilem Fratrem modernum Episcopum Caputaquen ex altera partibus, super jurisdictione quasi Episcopali, pluribus ab hinc sæculis in Monasterio Sancti Onuphrii Massæ Dirutæ nuncupato, ejusque territorio tamquam uno ex locis nullius Diæcesis, ut asseritur jurisdictioni Abbatis Generalis dictæ Congregationis subjectis, ab Abbate predicto exercitata, in ipsa Cardinalium Congregatione fuerant proposita infrascripta dubia = Primo = *An Monasterium Sancti Onuphrii nuncupat. di Massa Diruta, sit nullius Diæcesis, et quatenus negative* = Secundo = *An Priori seu Abbati dicti Monasterii, liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minime approbatis, audiendi confessiones personarum sæcularium in dicta Ecclesia Sancti Onuphrii, et quatenus negative* = Tertio = *An Sacerdotes Sæculares, vel Regulares alterius Diæcesis, etiam a proprio Ordinario approbati, audire possint Confessiones personarum sæcularium, de Sententia Patris Prioris, seu Abbatis pro tempore ejusdem Monasterii, et quatenus negative*

Referantur
dubia pro re-
solutione pro-
posita.

Quarto = *An Fons Baptismalis in eadem Ecclesia positus, sit removendus* = Die xxviii. Augusti MDCCLVI. eadem Cardinalium Congregatio distulit resolutionem ad primam Congregationem post aquas, suspensis interim per modum provisionis, et sine præjudicio iurium partium, Confessariis non approbatis ab Episcopo. Non acquiescentibus vero ipso Abbate Generali, seu Priore Monasterii prædicti, ac exhibitis interea privilegiis ab hac Sancta Sede concessis, et præsertim inter illa quibusdam Literis fel. rec. Urbani PP. IV. Prædecessoris Nostri sub Plumbo Idibus Januarii MDCCLXIII. expeditis ad jurisdictionem quasi Episcopalem spectantibus, ac citato Promotore Fiscalis Curie Episcopalis Caputaquen die xviii. Septembris primodicti Anni MDCCLVI. eadem Cardinalium Congregatio rescripsit = *Prævio recessu a decisis, pro facultate deputandi per Abbatem, sive per ejus Delegatum, nomine ejusdem Congregationis, et sine præjudicio iurium ambarum partium, et per modum provisionis, Confessarios, dummodo sint approbati ab eorum respective Ordinariis.* Reproposita eadem Causa sub iisdem dubiis, ipsa Cardinalium Congregatio die xx. Novembris ejusdem Anni distulit resolutionem ad primam Congregationem etiam unica. Proposita subinde ejusmodi Causa cum infrascriptis dubiis nempe = Primo = *An Monasterium Sancti Onuphrii nuncupat. di Massa Diruta, sit nullius Diæcesis, et quatenus negative* = Secundo = *An Priori, seu Abbati dicti Monasterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus ab Ordinario minime approbatis, audiendi Confessiones personarum sæcularium in dicta Ecclesia Sancti Onuphrii, et quatenus negative* = Tertio = *An Sacerdotes sæculares, vel Regulares alterius Diæcesis etiam a proprio Ordinario approbati, audire possint confessiones personarum sæcularium de licentia P. Prioris, seu Abbatis pro tempore ejusdem Monasterii, et quatenus negative.* = Quarto = *An, et in quas pœnas incidant tam Prior, sive Abbas, quam Confessarii* = Quinto = *An Fons Baptismalis in eadem Ecclesia positus, sit removendus.* Die XI. Decembris dicti Anni MDCCLVI. ipsa Cardinalium Congregatio respondit = ad primum = *Affirmative* = ad secundum rescripsit = *ad mentem in Casu, de quo agitur, et mens est, non expedire, uti Confessariis ab Ordinario non approbatis = Ad*

S. Congregatio, Episcoporum, et Regularium provisionalem resolutionem decernit.

Nova dubia concinnata in secunda propositione.

Prælaudata S. Congregatio, relata superius dubia resolvit.

tertium = *Affirmative* = ad quartum = *negative*, et *rescripsit ad mentem*, et *mens est*, quod non utatur, nisi *consulta ipsa Cardinalium Congregatione*. Redit Promotor Fiscalis ad novum eorumdem Cardinalium Judicium, et respondendum erit = *An sit standum*, vel *recedendum a decisio in casu etc.* die xxx. Aprilis ipsa Cardinalium Congregatio distulit propositionem; Reproposita eadem causa, cui decernendum est. *An sit standum*, vel *recedendum a Decisio*; die xxx. Julii MDCCLVII. Ipsa Cardinalium Congregatio *stetit in Decisio*, et hujusmodi Causam amplius non proponi mandavit.

Postrema, et definitiva praelaudata S. Congregationis resolutio.

Decreta S. Congregationis approbantur, et confirmantur.

§. 2. Cum autem, sicut dictus Abbas Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse, decreta hujusmodi, quo firmiter subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos ipsum Abbatem Generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratiâ absolventes, et absolutum fore censentes, Supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta præinserta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adijcimus, salva tamen semper in præmissis Auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentem Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Maii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LVIII.

Apostolico Nuncio penes Augustum Poloniæ Regem Illustrem, facultatem tribuit conferendi tres Canonicatus in Cathedrali Ecclesia Culmen primo vacaturos in mensibus Sanctæ Sedi reservatis, et ad Episcopi nominationem, sub lege tamen expediendi Litteras sub plumbo, intra octo menses a collatione.

Dat. die 21. Maii 1759. Ann. I.

Facultatem hanc indultam praelaudato Nuncio fuisse pro Diœcesi Gnœnen, habes supra in Litera in forma Brevis relata sub num. LVI.

Clemens Papa XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem

§. 1. **E**gregia Venerabilis Fratris Andreæ Episcopi Culmen in Nos, et Apostolicam Sedem fidei, et devotionis merita poscunt, ut illa libenter ei concedamus, per quæ erga personas istarum partium sibi gratas, et acceptas beneficium exhibere possit, et liberalem; Supplicationibus itaque ipsius Andreæ Episcopi nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut tres dumtaxat Ecclesiæ Culmen Canonicatus, et Præbendas, quos in mensibus Nostris, et dictæ Sedi dispositioni reservatis, per obitum illos obtinentium primo vacare contigerit, personis eidem Andreæ Episcopo, ut præfertur gratis, et acceptis, ac ab eo specialiter nominandis, quæ in primis in Catholica Fide constantes sint, Auctoritate Nostra Apostolica, conferre, et de illis etiam providere, ipsasque personas, vel earum Procuratores, earum nomine in corporalem possessionem Canonicatum, et Præbendarum hujusmodi per Te vigore præsentium illis conferendorum, juriumque, et pertinentiarum suorum quorumcumque inducere, et inductos defendere, ac quoscumque illicitos Detentores ab illis amovere, ipsisque provisus de illorum fructibus, redditibus, et proventibus, juribus, et obventionibus integre responderi, aliaque in præmissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna facere, nec non contradictores quoslibet per censuras, et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescere libere, et licite

Præces porrectæ ab Episcopo Culmen pro libera nominatione ad tres Canonicatus in sua Ecclesia Cathedrali.

Facultatem tribuit Pontificio Poloniæ Nuntio conferendi tres Canonicatus ad quos Episcopus Culmen idoneas personas nominaverit.

possis, et valeas facultatem, eadem Auctoritate tenore presentium concedimus, et impertimur.

*Clausula
sublata, et
decretum irri-
tans.*

§. 2. Decernentes collationes, et provisiones per Te de dictis Canonicatibus, et Præbendis, ut præfertur, facien, perinde validas, firmas, et efficaces existere, et fore in omnibus, et per omnia ac si a Nobismetipsis factæ fuissent, sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis
derogat.*

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, dictæque Ecclesiæ Culmen etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Præscribitur
provisis de tri-
bus Canonicatibus, ut infra octo Menses a die collationis, Literas Apostolicas sub plumbo expedire teneantur, sub privationis poena.*

§. 4. Volumus autem, ut ii, quibus Canonicatus, et Præbendas hujusmodi contuleris, intra octo menses a die illarum collationis, et provisionis computandos, novas provisiones super illis a Nobis, et Apostolica Sede prædicta impetrare, ac Literas Apostolicas sub Plumbo expedire, ac jura Cancellariæ, et Cameræ Apostolicæ, aliisque propterea debita, persolvere omnino teneantur, alioquin, elapsis dictis mensibus, Canonicatus, et Præbendæ hujusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque aliis per Nos, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dutaxat libere conferri, nisi provisi, legitimo impedimento detenti, de hujusmodi impedimento, coram Datario Nostro constare fecerint, vel ipsis petentibus novas provisiones hujusmodi, et protestantibus, quod per eos non stat, contigerit illas eis denegari.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Maii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LIX.

Confirmatio Decreti Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, circa, electionem Guadianorum trium Conventuum, et Custodiarum principalium, in Astensem, et Pedemontanam Provinciam alternatim faciendam, cum derogatione contrariarum præscriptionum.

*Dat. die 28.
Maii 1759.
Ann. I.*

Literæ Apostolicæ Benedicti XIV. quibus Provincia Pedemontana in tres Custodias divisa fuit, habentur hic integre insertæ.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **S**uprema Apostolica charitatis, providentiæque nostræ erga omnes Christifideles, atque eos potissimum, qui a fluctibus sæculi erepti, ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda a Nobis cura, maximopere postulat atque exigit, ut omnem Pontificiæ benignitatis, auctoritatisque operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, quo contentionibus, litibus, ac dissidiis, partium studiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter Viros præsertim Religiosos in pace fiant, et omnia ad Divinum Cultum augendum, Regularem disciplinam confirmandam, procurandamque æternam Animarum Salutem componantur, constabulanturque.

Exordium

§. 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius Clemens a Panormo Minister Generalis Ordinis Fratrum Minor. S. Francisci de Observantia nuncupat. , quod alias dilectus itidem Filius Raphael a Lugagnano Ex Minister Generalis, et tunc totius Cismontanæ Familiæ ejusdem Ordinis Commissarius Generalis, qui ut felici, prosperoque regimini, atque gubernio Provinciæ S. Thomæ in Pedemontio dicti Ord. consulere valeret, ipsam Provinciam in tres Custodias divisit, et quamdam alternatim in electione Ministri Provincialis, Custodis, et Deffinitorum Provincialium inter dictas tres Custodias præscripsit, et distribuit, assignatis, unicuique ex tribus dictis Custodiis, octo Conventibus ex vigintiquatuor, qui totam Provinciam constituunt, mandando inter cætera, ut Fratres unius cujusque Custodiæ, in Guardianos Conventuum unicuique Custodiæ assignatorum, præficerentur, prout con-

Preces porrectæ pro confirmatione Decreti Ministri Generalis.

tinetur in quibusdam Fel. rec. Benedicti Papæ XIV. Prædecessoris Nostri super confirmatione patentium litterarum ipsius Reaphaelis Commissarii Gen. ea super re confectarum, in simili forma Brevis expeditis Literis tenoris sequentis videlicet. = Benedictus Papa XIV. ad futuram rei memoriam. Injuncti Nobis, per abundantiam Divinæ Gratix, Pastoralis Officii sollicitudo postulat, ut in his, per quæ Christifidelium, sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, prospero statui consulitur, ejusdem Officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Emanuel a Crescentino Minister Provincialis Provinciæ S. Thomæ in Gallia Subalpina, seu Pedemontis Ord. FFr. Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod dilectus itidem filius Reaphael a Lugagnano, Familiæ Cismontanæ ejusdem Ordinis Commissarius Generalis, dictam Provinciam per suas Patentes Litteras in tres Custodias separavit, et unicuique ex tribus dictis Custodiis certos Conventus assignavit, ac quamdam alternativam in electione Superiorum Provincialium præscripsit, et mandavit, prout continetur in ipsius Raphaelis Commissarii Generalis Patentibus Literis tenoris sequentis, videlicet.

Referuntur tenor Literarum Benedicti XIV.

Referuntur Literæ Patentes Ministri Generalis super divisione Custodiarum Provinciæ Pedemontans.

» Fr. Raphael a Lugagnano Lector Emeritus, Ex Minister Generalis, ac totius Cismontanæ Familiæ FF. Min. S. P. N. Francisci Commissarius Generalis, Visitator, et Reformator Apostolicus, et Servus, Dilectis in Domino Fratribus Nostræ Observantis Provinciæ S. Thomæ Superioribus, et Subditis salutem, pacem, et a Domino Sempiternam Benedictionem. Muneris nostri ratio exposcit, ut in Provinciis nostræ curæ commissis, ea omnia promoveamus, quæ prospero, felicique earumdem gubernio consentanea esse noscuntur. Nuper siquidem pro parte P. Fr. Emanuelis a Crescentino Ministri Provincialis Nostræ Observantis Provinciæ S. Thomæ in Pedemontio, approbante Serenissimo Sardinæ Rege, Sanctissimo Domino Nostro D. Benedicto Papæ XIV. humiliter supplicatum fuit, ut pro meliori dictæ Provinciæ gubernio, proque exactiori, in Gradu, et Superioritatum collatione justitiæ distributiæ exercitio, ex vigintiquatuor Conventibus, quibus dicta Provincia componitur, tres Custodias, Taurinensem, Astensem, et

» Pedemontanam nominandas, octo ex dictis Conventibus infra nominandis, pro unaquaque constantes, instituerentur. Ex quibus Custodiis, quemadmodum in pluribus aliis Ordinis Nostri Provinciis, salubriter, summoque justitiæ distributiæ, pacis, et quietis fructu, per Apostolicam Sedem est cautum, Minister Provincialis, Custos, et Deffinitores alternatim in Capitulis, atque Guardiani respectivorum Conventuum, in dictis Capitulis, et Congregationibus eligerentur; ita quod unaquæque Custodia, duos Vocales in Deffinitorio, et Octo Guardianos in gubernio respectivorum Conventuum semper habeat, cum hac distributione, videlicet: Quod Custodia illa, ex qua assumetur Minister Provincialis, unus pariter Deffinitor, et Secretarius Provinciæ: Ex ea autem, ex qua fuerit Minister Officium explens, Custos, et alter Deffinitor. Et tandem ex tertio duo Deffinitores semper alternatim eligantur: Et insuper, quod dictarum Custodiarum Conventibus, Religiosi ad easdem Custodias pertinentes pro Guardianis, et Præsidentibus, præficiantur. »

» Cum autem eidem SSmo Domino Nostro placuerit sub die 4 currentis Junii supplicem dicti P. Fr. Emanuelis libellum cum rescripto pro gratia, ad nos cum facultatibus necessariis, et opportunis benigne remittere; Nos edocti ab Excellentissimo D. Comite de Rivera Serenissimi Sardinæ Regis, apud S. Sedem Ministro, de benigno super his dicti Serenissimi Regis beneplacito, facultatibus, ut supra, Nobis attributis utentes, prædictas tres Custodias, Taurinensem nempe, cui sequentes octo Conventus, nempe, Taurini, Clavasii, Crescentini, Valpergæ, Fontaneti, Vercellarum, Gattinariæ, et S. Agathæ; insuper Astensem, cui alios sequentes octo pariter tribuimus, scilicet Astæ, S. Damiani, Villæ Novæ, Clerii, Carmagnolæ, Sinfredi, Braydæ, et Clerasci; et tandem Pedemontanam, cui cæteros octo Conventus etiam tribuimus, scilicet Montisregalis, Benvarum, Malleæ, Buschæ, Salutarum, Siviliani, Fossani, et Vigoni; his nostris instituimus, et declaramus, præcipientes per S. Obedientiam, et sub pœna nullitatis Electionum, ut his nostris publicatis in cunctis Capitulis, et Congregationibus, Electiones tum Provincialis, tum Custodis, Deffinitorum, et Guardianorum

„ dictæ Provinciæ semper fiant juxta
 „ supra expositam dispositionem , et
 „ distributionem, nempe quod alterna-
 „ tim Minister , Custos, et Definitores
 „ prædicti ex dictis Custodiis , inci-
 „ piendo ab Astensi, ex qua , tamquam
 „ præ cæteris munere Provincialatus e-
 „ longiori tempore vacua, Minister , et
 „ unus Definitor cum Secretario Pro-
 „ vinciciæ in proximo futuro Capitulo
 „ eligi debeant ; ex Taurinensi autem
 „ Custos , et alter Definitor, et ex Pe-
 „ demontana duo Definitores , sicque
 „ alternatim in aliis Capitulis subse-
 „ quentibus ; et insuper a præsentium
 „ publicatione, Guardiani Conventuum
 „ Custodiarum dictarum eligi semper
 „ debeant ex Religiosis , ad easdem re-
 „ spectivas Custodias pertinentibus , ita
 „ quod unaquæque ex prædictis Custodis,
 „ duos semper Vocales in Definito-
 „ torio , octo Guardianos in officio ha-
 „ beat ; et casu , quo aliquis ex dictis
 „ duobus Vocalibus deficiat , necesse-
 „ que sit juxta Constitutionum Genera-
 „ lium præscriptum , aliquem subroga-
 „ re , qui Definitorio intersit , in hoc
 „ casu , subrogationem conferendam esse
 „ non dignori Patri Provinciæ , be-
 „ ne vero Custodiæ illius , in qua erit
 „ vocalis deficiens harum virtute de-
 „ cernimus , et mandamus , volen-
 „ tes , quod duo Vocales ex unaqua-
 „ que Custodia , semper Definitorio
 „ intersint , nec quisquam eorum un-
 „ quam deficiat . Quia autem eadem
 „ Provincia, duos tantum habet Coaven-
 „ tus Sacri Recessus , illosque in Cu-
 „ stodia Pedemontana sitos , volumus ;
 „ et mandamus , ut post præsentium
 „ publicationem in prima Congregatio-
 „ ne Capitulari, duos alios Conventus ,
 „ quos PP. Definitorii magis idoneos
 „ judicaverint , unum in Taurinen. Cu-
 „ stodia , et alterum in Astensi insti-
 „ tuant , relinquentes arbitrio dictorum
 „ PP. Definitorii prædictos, duos Con-
 „ ventus S. Recessus in Custodia Pede-
 „ montana existentes, continuare , vel
 „ unum trasferre ad alteram ex dictis
 „ Custodiis , Conventum hujusmodi non
 „ habentem , ita quod unaquæque Cu-
 „ stodia proprium habeat Sacri Recessus
 „ Conventum , in quo respectivi Reli-
 „ giosi, proprii spiritus devotioni satis-
 „ facere queant. Quo vero ad Novi-
 „ tiorum receptionem , injugimus , ut
 „ ex unaquaque Custodia æquali nu-
 „ mero postulantes, ad ordinem acce-
 „ ptentur , et ad probationem , et pro-
 „ fessionem respective admittantur , ser-
 „ vatis in reliquis quæ per Apostolicas,

„ et Ordinis Constitutiones servanda
 „ sunt. Ita decernimus , et servari man-
 „ damus sub pœnis , ut supra. Datum
 „ Romæ ex Aracœli die 8 Junii 1752.
 „ Fr. Raphael a Lugagnano Commiss.
 „ Generalis , et Visitator Apostolicus.
 „ De mandato Rm̃i in Christo Patris
 „ Fr. Franciscus Antonius a Mutiliana
 „ Secret. Generalis Loco Sigilli.

Cum autem , sicut eadem expositio
 subjungebat dictus Emanuel Minister
 Provincialis præinsertas Patentes literas,
 ac in eis contenta quæcumque quo fir-
 mius subsistant , et serventur exactius ,
 Apostolicæ confirmationis Nostræ pa-
 trocinio communiri summopere deside-
 ret ; Nos ipsum Emanuelelem Mini-
 strum Provinciale specialibus , favori-
 bus , et gratiis prosequi volentes , et a
 quibusvis excommunicationis, suspensio-
 nis , interdicti , aliisque canonicis cen-
 suris , et pœnis , si fuerit quoquo mo-
 do innodatus , tenore præsentium ab-
 solventes , et absolutum fore censentes ,
 supplicationibus ejus nomine No-
 bis super hoc humiliter porrectis in-
 clinati , præinsertas dicti Raphaelis
 Commissarii Generalis Patentes literas ,
 divisionem dictæ Provinciæ intres Cu-
 stodias , assignationemque Conventuum
 unicuique ex dictis Custodiis , ac præ-
 scriptionem Electionum Ministri Pro-
 vincialis, Custodis , Definitorum , et
 Guardianorum continentes, et cum omni-
 bus, et singulis in eis contentis, aucto-
 ritate Apostolica tenore præsentium ap-
 probamus, et confirmamus, illisque in-
 violabilis Apostolicæ firmitatis robur
 adjicimus, omnesque et singulos juris,
 et facti etiam substantiales defectus si
 qui desuper, quomodolibet in præmis-
 sis intervenerint, seu intervenisse dici
 vel prætendi possit dicta auctoritate sup-
 plemus , et sanamus. Decernentes eas-
 dem præsentis Literas , et in eis con-
 tenta quæcumque, semper firma , vali-
 da , et efficacia existere , et fore, suos-
 que , plenarios , et integros effectus sortiri,
 et obtinere , ac illis ad quos spectat ,
 et pro tempore quancumque spectabit
 plenissime suffragari , et ab eis respective
 inviolabiliter observari : Sicque in præ-
 missis per quoscumque Judices Ordinarios
 delegatos etiam Caesarum Palatii Aposto-
 lici Auditores , judicari , et definiri debere
 ac irritum , et inane si secus super his a
 quoquam, quavis auctoritate, scienter vel
 ignoranter contigerit attentari. Non ob-
 stantibus Constitutionibus Apostolicis, ac
 Ordinis, et Provinciæ hujusmodi etiam
 juramento confirmatione Apostolica, vel
 quavis fir-

mitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in sua robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Julii 1753. Pontificatus Nostri Anno XII.

Minister Generalis, novam Custodiarum districtuacionem, ad dissidia dirimenda, perficiendam esse duxit.

§. 3. Et licet per præinsertas Litteras præscriptum sit, ut Guardiani Conventuum ad unamquamque ex dictis tribus Custodiis assignatorum, semper præficiantur ex Alumnis ad easdem respectivè Custodias pertinentibus, nihilominus ipse Clemens Minister Generalis experientia compertum habeat, quod per electionem Guardiani Conventus S. Thomæ Taurini, Custodiæ Vercellensi assignati, semper in favorem unius Professoris ejusdem Custodiæ faciendam, tranquillitati, et paci dictæ Provinciæ minime consultum sit, quippe quod ex illius statuta electione novâ dissidia, et dissensiones inter ipsas Custodias oriri videntur, et forsân ortæ existunt; Ipse vero Clemens Minister Generalis, ad illas dirimendas, penitusque evellendas, proprium esse ducit, dictum Conventum S. Thomæ a Vercellensi Custodia distrahere, ac illius Guardiani, prout etiam reliquorum Conventuum Carmaniolæ, et Oppidi de Vigone ad Astensem, et Pedemontanam respective Custodias spectantium, electiones imposterum habendas, alternatim inter Alumnos dictarum trium Custodiarum præscribere, prout præscripsit per suum Decretum tenoris sequentis nempe, Cum in Nostra Observanti Provinciâ Taurinensi, S. Thomæ Apostoli nuncupata, ex antiqua consuetudine usque receptum sit, ut ad obyandâs in Capitulis Provincialibus dissensiones, aliaque incommoda præcavenda, quæ occasione electionum tam Superiorum, quam aliorum Officialium Provinciarum Ordinis non raro contingunt, ipsa in tres partes divisa sit, in Custodias nempe, quas vocant Vercellensem, Astensem, et Pedemontanam, illarumque Custodiarum quælibet, certos habeat attributos Conventus, ex quibus præcipuas sub

Tenor decreti Ministerii Generalis super nova Custodiarum districtuacione.

nuncupatione S. Thomæ Apostoli Taurini existens, Custodiæ Vercellensi hactenus fuerit perpetuo aggregatus, in eoque Religiosus idoneus ex memorata Vercellensi Custodia, in Capitulis, vel Congregationibus Provincialibus semper in Guardianum usque ad præsens electus fuerit; unde occasione hujusmodi electionis in favorem memoratæ Custodiæ non bene consultum paci, ac tranquillitati totius Provinciæ, imo melius consuli de eadem electione aliter providendo videatur: Nos proinde stabili, firmoque Fratrum, et Provinciarum Nostrarum bono, ac quieti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, omniaque præterea dissensionum semina ab eisdem Fratribus, et Provinciis evellere, cupientes, prædictum Taurinensem Conventum S. Thomæ Apostoli, ab ipsa Vercellensi, ut fertur, Custodia prorsus abstrahentes, veluti Provinciæ Universæ futuris temporibus considerandum, illique in Guardianum præficiendum, Auctoritate Apostolica, qua fungimur, prout infra, decernimus, et declaramus = Primo = Ut integro triennio, in quo, juxta introductam consuetudinem, Minister Provincialis assumitur ex Custodia Vercellensi, in Guardianum Taurinensem eligatur unus ex Patribus Custodiæ Vercellensis, in Guardianum Conventus Carmaniolæ pertinentis ad Custodiam Astensem = Secundo = Ut in alio triennio, in quo Provincialatus Officium, juxta morem pertinet ad Custodiam Astensem, Taurinensis Guardianus sit ex Custodia Pedemontana, et hæc, Custodiam Vercellensem compensabit per Guardianatum Conventus Oppidi de Vigone = Tertio tandem = Ut eo triennio, in quo Minister Provincialis fuerit ex Custodia Pedemontana, idem Taurinensis Guardianus ad Patres pertineat Custodiæ Vercellensis = Atque ita Auctoritate Apostolica decernimus, volumus, et declaramus. Non obstantibus etc. Datum Romæ ex Aracæli die 24. Martii 1759. Fr. Clemens de Panormo Minister Generalis = Loco ✕ Sigilli = De mandato Rm̄i in Christo Patris Fr. Vincentius Scutari Ex-Definitor Generalis, et Secretarius Generalis Ordinis.

§. 4. Cum autem, sicut dilectus Filius Clemens Minister Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse, Decretum hujusmodi exequi demandetur, et exequutioni

Supra relatam Ministerii Generalis Decretum Pontificia auctoritate confirmatur.

hujusmodi demandatum, inde servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrociniò communiri summopere cupiat: Nos dictum Clementem Ministrum Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi, volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque canonicis censuris, et pœnis, si fuerit quoquo modo innodatus, tenore præsentium absolventes, et absolutum fore censes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum ejusdem Clementis Ministris Generali Decretum, licet illud adversetur non solum dispositioni, quæ in patentibus literis memorati Raphaelis tunc Commissarii Generalis Cismontanæ Familiæ dicti Ordinis, sicut præmittitur, editis continetur, nempe, quod Guardiani Conventuum Custodiarum hujusmodi semper præfiantur ex Religiosis ad easdem respective Custodias pertinentibus, verum etiam tenori ipsarum Benedicti Prædecessoris super illarum confirmatione expeditarum Literarum, quibus quoad hanc partem dumtaxat, Auctoritate Apostolica derogamus, ac per præsentem in ea tantum parte derogatum intendimus, firmis tamen remanentibus aliis dispositionibus, seu præscriptionibus quoad ipsas Custodias a dicto Raphaeli Commissario Gen: factis, et in suis patentibus litteris contentis, juxta tenorem, et formam earundem Benedicti Prædecessoris prædicti Litterarum, super illarum confirmatione editarum, Auctoritate præfata tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnèsque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula
sublata, et de-
cretum irri-
tans.

§. 5. Decernentes easdem præsentem literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis
derogat.

§. 6. Non obstantibus dictis Bene-

dicti Prædecessoris Litteris præinsertis, quoad ea, quæ circa Guardianos Conventuum Custodiarum hujusmodi presentibus adversantur, ac omnibus, et singulis quæ idem Benedictus Prædecessor in suis Litteris præfatis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima octava Maji 1759. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LX.

Confirmatur Constitutio sancita in synodo, per Archiepiscopum Compostellanum anno 1746 celebrata, qua modus præfinitur habendus cum hæredibus Parochorum pro reparatione Domorum Parochialium, et annexorum, ejusdemque Constitutionis observantia demandatur pro Diœcesi Lucen, Archiepiscopatus Compostellani suffraganea.

Dat. die 7.
Junii 1759.
Ann. 1.

Clemens PP. XIII

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Promotor Fiscalis Curie Episcopalis Lucen, quod in Synodo per tunc existentem Archiepiscopum Compostellanum, cujus Episcopus Lucen Suffraganeus existit, diebus prima secunda, et tertia respective Mensis Junii anni MDCCXXXVI. celebrata, ad pœnitus evellendas, dirimendasque lites, quæ oriri videbantur inter hæredes Parochorum ex una, et Rectores Successores Ecclesiarum Parochialium ex altera partibus, quoad reparationes, seu restorationes Domorum Parochialium, earumque annexorum in Constitutione 38 tit. 20 cautum fuit prout sequitur, videlicet = Delle Case Parrocchiali, Ministri, e suoi annessi Constit. 38. tit. 20., perchè succedendo la morte de Curati, sono tante le liti, disturbi, e dissenzioni, che d'alcuni anni in qua si cagionarono tra gli Eredi de' Defonti, ed i Parochi Successori sopra il riparo, risarcimento, e compostura delle Case Parrocchiali, e suoi annessi de' Ministri, pretendendo i nuovi Curati somme eccessive, ed al contrario gli Eredi minorare i ripari, sopra di che si proseguiscono longhe, e spese grandi nelle Liti per non essere determinati con cer-

Exponitur
ad quod actum
fuit in Synodo
Compostellana.

Tenor resolutionis habite in prælaudata Synodo.

» tezza i casi , e circostanze , con i quali
 » si devono regolare per evitare simili
 » controversie nell' avvenire S. S. A. ordi-
 » niamo , e comandiamo , sia tenuto
 » il Curato morto , e sua Eredità di
 » mantenere nel medesimo essere , e
 » stato , e riparata la Casa Parrocchiale
 » nella conformità , che la lasciò il suo
 » Antecessore , che nelli miglioramenti ,
 » che s' avessero fatto dal defonto Ret-
 » tore , o Curato , se questi fossero di
 » special utilità , terrà arbitrio il no-
 » stro Provvisore di ordinare , compen-
 » sare quelli o in parte , o in tutto con
 » i danni , attendendo alla qualità di
 » uñi , e di altri. Parimente dichiaria-
 » mo , che nelli ripari nuovi , che fa-
 » cessero in terreno sodo , o vergine ,
 » cioè in dove mai fù fabricato , ben-
 » chè restino imperfetti , e da termi-
 » nare non sia obbligato il Rettore morto ,
 » nè la sua Eredità perfezionare le det-
 » te Fabriche. Che se per maggior con-
 » venienza , o utilità si buttassero a terra
 » alcune Case tanto Parochiale , come
 » del Ministro , ed invece di quelle fa-
 » bricare altre di nuovo con la Nostra
 » licenza , o del Nostro Provvisore , si
 » ricompensino una con le altre . Che
 » ne' muri dell' annessi , Eredità , e Prati
 » de Ministri s' intende la sua Fabrica ,
 » o riparo a stile , e pratica de' Pe-
 » riti a riserva delli caduti , o mala-
 » mente riparati , se non fossero di pie-
 » tra secca , mattone , o calce , e ter-
 » ra , che in questo caso si devono ri-
 » parare nel medesimo modo. E perchè
 » le vacanze de' Benefizj sogliono es-
 » sere di raro , e li Vicarij Economi
 » per la poca cura , che tengono di mau-
 » tenere le menzionate Case , patiscono
 » sufficiente ruina , e danno , di che ne
 » deviene , che i Curati successori vo-
 » gliono obbligare all' Eredi de' suoi
 » antecessori , acciocchè le riparino , e
 » risarciscino , come le trovano , quan-
 » do entrano , non essendo tenuti ad
 » altro , che a sodisfare i danni al tem-
 » po della morte. Ordiniamo , che nel
 » tempo di quindici giorni susseguenti
 » alla morte domandandolo l' Erede ,
 » il Nostro Provvisore commetta al Ca-
 » po Mastro della nostra Santa Chiesa
 » Catedrale , o ad' alcun' altro di sua
 » intiera sodisfazione , acciocchè con Ci-
 » tazione del Nostro Fiscale Ecclesiastico ,
 » e coll' assistenza dell' Arciprete ,
 » o Curato , che nominerà , partirà a
 » riconoscere la Casa , o Case , ed an-
 » nesi di quello , cioè Ministro della
 » Chiesa , e dichiarati con giuramento
 » lo stato , in cui trovò quelle sudette

Bull. Rom. Tom. I.

» Case , e ripari fatti , e che sono ne-
 » cessarij , ed il suo importo , o spesa ,
 » il che farà pagare all' Eredi del De-
 » fonto , con le giornate del Capo Ma-
 » stro , o altro Artista , ed ordinerà de-
 » positare in persona sicura per conse-
 » gnarli al successore , e le tasse ori-
 » ginali restino nell' Offizij , o Archi-
 » vij , acciò si tengano presenti , quan-
 » do succeda altra nuova tassa coll' oc-
 » casione della morte di quello , che
 » entra , e se per colpa del Vicario Eco-
 » nomo succedesse alcun riparo da far-
 » si , s' obliherà a pagarlo.

§. 2. Cum autem sicut eadem ex-
 positio subijungebat, dictus Promotor Fi-
 scalis asserens præsertim Synodalem
 Constitutionem mantentionis domorum
 Parochialium , ac extinctionis frequen-
 tium litium congruum esse , quo firmius
 subsistat , et servetur exactius , illam,
 inherendo sensui , et voluntati Venerabilis
 Fratris Francisci Moderni Episcopi
 Lucen. Apostolicæ confirmationis patro-
 cinio communiri summopere desideret.
 Nobis propterea humiliter supplicari fecit,
 ut sibi in præmissis opportune pro-
 videre , et ut infra indulgere de beni-
 gnitate Apostolica dignaremur.

*Preces por-
 rectæ pro con-
 firmatione re-
 latæ resolutio-
 nis Synodalis.*

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem
 specialibus gratiis , et favoribus prose-
 qui volentes , et a quibusvis excommu-
 nicationis , et interdicti , aliisque Eccle-
 siasticis Censuris , Sententiis , et penis
 quovis modo , et quacumque de causa
 latis , si quas forte incurrit , hujus tan-
 tum rei gratia absolventes , et absolu-
 tum fore censentes , hujusmodi suppli-
 cationibus inclinati , de Venerabilium
 Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardina-
 lium Concilii Tridentini Interpretum , ad
 quos supplicem libellum remisimus ,
 consilio , præsertim Constitutionem
 Synodalem , auctoritate Apostolica , te-
 nore præsentium confirmamus , et ap-
 probamus , illique inviolabilis Aposto-
 licæ firmitatis robur adijcimus , omnes-
 que , et singulos juris , et facti defectus ,
 si qui desuper intervenerint , supplē-
 mus , et sanamus.

*Confirmatur
 et approbatur
 Constitutio Sy-
 nodalis de qua
 in præcibus.*

§. 4. Decernentes easdem præsen-
 tes Literas semper firmas , validas , et
 efficaces existere , et fore , suosque ple-
 narios , et integros effectus sortiri , et
 obtinere , ac illis , ad quos spectat , et
 pro tempore quandocumque spectabit ,
 plenissime suffragari , et ab iis invio-
 labiliter observari , sicque in præmis-
 sis per quoscumque Judices Ordinarios ,
 et Delegatos etiam Causarum Palatii
 Apostolici Auditores judicari , et defi-
 niri debere , ac irritum , et inane si se-

*Clausula su-
 blata , et de-
 cretum irritum*

cus super his, a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Junii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LXI.

Dat die 2.
Junii. 1759.
Ann. I.

Canonicis Regularibus S. Mauritii in Vallosiorum denegat cumulativam administrationem binarum Parochiarum, pro iisdem imploratam a Sardinæ Rege.

Clemens PP. XIII.
Carissime etc.

Narrat preces porrectas.

§. 1. **E**xcepimus humanissimas Majestatis Tuæ Literas die 28 Mensis Martii proxime elapsi datas, quibus Regia Tua apud Nos studia adhibere voluisti pro dilectis filiis Canonicis Regularibus Abbatiae Sancti Mauritii in Vallosiorum regione existentis, qui contra id, quod a causarum Palatii Nostri Apostolici Auditorio pluries decisum fuit, duas Parochias de Monthey scilicet, et Trois Torrente vulgo nuncupatas, ipsi per se administrari prætendunt. Facile autem sibi persuadere poterit Majestas Tua, (quemadmodum dilecto quoque Filio Nobili Viro Comiti de Rivera Tuo apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Plenipotentiario Ministro significavimus) quam alacri animo hanc amplexi fuisset occasionem, quanti faciamus eximia sua officia rebus ipsis testandis, sed re penitus perspecta, nec nostris votis, neque postulatis tuis, ullo modo obsecundare posse vehementer doluimus.

Cumulativa administrationi opponit Constit. Benedicti XIV., et Concilium Tridentinum.

§. 2. Utriusque enim obstare quam maxime deprehendimus tum constitutionem felic. record. Benedicti PP. XIV. Prædecessoris Nostri, cujus initium est = Quod inscrutabili = Tum eam legem, quam Nobis ipsis constituimus, ne videlicet quod a Prædecessoribus Nostri mature decretum fuerit, ulla ex parte, quoad fieri possit, revocemus, aut innovemus. Porro ipsa laudatæ Constitutionis narratio satis superque demonstrat, prævia diligenti, providaque cautione editam fuisse, et Sacrorum Canonum, ac Concilii Tridentini Decre-

tis solide inixam esse; quare Constitutioni laudatæ derogantes utrorumque dispositioni derogaremus, atque unicum hoc exemplum, statim ad aliam viam facilem, expeditamque muniret.

§. 3. Quod autem per jus, ac justitiam obtineri nequit, neque per gratiam indulgere posse arbitramur, cum præsertim hoc in præjudicium cedit alterius, qui pro vindicandis juribus suis, postquam maximas expensas, diuturnamque litem sustinuit, per gratiæ hujusmodi concessionem, reportatæ victoriæ fructu defraudaretur. Ea propter de insigni Majestatis Tuæ Religione, æquitate, ac prudentia certe minime dubitamus, quin hæc omnia æqui bonique accipiens, ac secum reputans excusatos Nos habeat, si huic Tuæ petitioni, ingenti cum animi Nostri mœrore, annuere non possimus. Cæterum opportunas præstolantes occasiones, ut quantopere Tibi, Carissime in Christo Fili Noster, morem gerere exoptemus, testatum facere valeamus, Apostolicam Benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. Datum Romæ die 2 Junii 1759.

Summ dolorem pro denegata gratia significat.

LXII.

Cathedram Theologiæ Moralis in Archigymnasio Almæ Urbis ab altero ex Alumnis expresse Professis Ordinis B. M. de Monte Carmelo exercendam, eidem Ordini perpetuo assignat.

Dat die 13.
Jun. 1759.
Ann. I.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **S**plendor Paternæ gloriæ de luce lucem proferens, et saluti humani generis clementer intendens, lucernam pedibus hominum, et eorum semini lumen dedit, dum ipse lux vera, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, inclytum Ordinem B. M. V. de Monte Carmelo, tamquam lucernam igne Charitatis succensam in Ecclesia militanti omnibus longe lateque perducens, super candelabrum eminentis Religionis erexit.

Exordium

§. 2. Hujusmodi equidem insignis Ordinis Professores, qui sub titulo Gloriosæ Virginis Genitricis Dei Mariæ insigniri noscuntur, circa hominum pedes non indigne lucernæ describuntur officio: ipsi namque verbis, et operibus prædicantes, sic hominum perlucet af-

Insignis hujus Ordinis merita, et virtutes comendantur.

fectibus, ut illos exemplis salutaribus dirigant, et informant; sic etiam illos, doctrinis salutaribus illuminat, et subornat, ut bene operantes luceant, et quibusdam quasi gressibus bonarum operationum in virtutes de virtutibus gradiantur. Ii sunt namque, qui ambulantes in tenebris mundi hujus, ne ad errorum scopulos, quos antiquus humani generis hostis insidiosè ipsis opponit, periculosius allidantur, lumen Catholicæ veritatis ostendunt, et per fervidæ charitatis viscera, se cæcis oculos, et claudis pedes efficiunt; et per cæcitatibus ignorantia delinquentes verbis, et operibus illuminant, et informant; et infirmitate peccantes, orando, ab eorum lapsibus relevare conantur. Dumque sublimium ipsius Ordinis Alumnorum virtutum merita, Deo quidem grata, et in conspectu Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis accepta, digna memoria recensemus, ac fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ, in propagatione Religionis, et fidei Orthodoxæ hactenus produxit utiliter, et producit, ac in futurum fore producturum indubitanter speramus, paternam charitatem intuemur: Dignum prorsus, quin immo, et debitum reputamus, Nos ad illa nostros debere derigere cogitatus, per quæ studiosorum dicti Ordinis Professorum commoditati consulitur, debitaque virtutibus præmia, unde, et ipsis ferventius in illas incumbant, et alii eorum exemplo ad eas amplectendas magis excitentur, rependantur.

Causæ afferuntur hujus Brevis.

§. 3. His sane, aliisque animum nostrum moventibus, atque ex eo etiam adducti, quod in hac Alma Urbe Nostra alia officia, atque ministeria aliis nonnullorum Religiosorum Ordinum Alumnis ita addicta in perpetuum sunt, ut officia, et ministeria hujusmodi tanquam sibi debita vindicantes Ordinum Superiores, quo laudabilius obeantur, optimum quemque suorum omni studio atque cura conquirant; confidimus fore, ut in posterum, quemadmodum hactenus benedicente Domino factum est, ex memorato Ordine Beatæ Mariæ de Monte Carmelo eximii in Sacra Theologia Magistri habeantur.

Cathedra Theologiæ Moralis huic Ordini perpetuo attribuitur in Archigymnasio Sapientiæ.

§. 4. Itaque motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, statuimus, decernimus, et ordinamus, ut deinceps futuris temporibus, publica Theologiæ Moralis in Archigymnasio Sapientiæ nuncupato, Almæ Urbis prædictæ

Cathedra alteri ex Alumnis, seu Fratribus expresse professis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo prædicti, quando-cumque per cessum, seu decessum, aut renunciationem, vel alio quocumque modo ex persona moderni, et uno tempore existentis lectoris illa vacare contigerit, concedi, et assignari debeat et concedatur, ac assignetur; sicque illius lectura per alterum ex dicti Ordinis Professoribus cum eisdem emolumentis honoribus, et oneribus expleatur, dictamque Cathedram Theologiæ Moralis in Archigymnasio prædicto de novo erectam, illiusque lecturam in perpetuum eidem Ordini assignamus, ac semper assignatum esse declaramus.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Archigymnasii, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permauris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Junii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

LXIII.

Dat. die 20.
Jan. 1759.
Ann. I.

Decernitur non licere Guardiano Monasterii S. Claræ Neapolis, uti Commissario Apostolico S. Mariæ Magdalensæ ejusdem Civitatis, explere solemnitates, et acta jurisdictionalia invitit Guardiano, et Monialibus secundi Monasterii, nec non alterum eligendum esse Commissarium Apostolicum, et Visitatorem, exclusis in perpetuum ab eodem Officio Guardianis prædictorum Monasteriorum.

De jurisdictione Cardinalis Protectoris quoad Monasteria de quibus hæc agitur vide Const. Clement. XII. edit. 1733 Sept. 25 cum omnibus aliis constit. in eadem relatis in Bullario Mai-nardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

§. 1. Injuncti Nobis per abundantiam divinæ Gratiæ Pastoralis Officii sollicitudo postulat, atque exigit, ut ad ea, per quæ prospero Monasteriorum devoti fæminei sexus statui, quoad Nobis integrum est, consulitur, ut e medio sublatis contentio-nibus, litium, disceptationumque forensium dissidiis, ac tricis, nec non partium studiis per solam, liquidamque veritatis inspectionem, jus suum unicuique tribuatur, ac justitia, et pax se se invicem osculentur, ejusdem Officii partes, sedulo intendamus, pro ut conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exponuntur, incomoda, et querimonie quoad regimen binorum Monasteriorum.

§. 2. Sane pro parte Carissimi in Christo filii Nostri Caroli Utriusque Siciliae, et Hierusalem Regis Illustris, Nobis expositum fuit, duo inter Regia Monialium Monasteria, alterum sub invocatione Sanctæ Claræ Ordinis Sancti Francisci, sub Regula ejusdem Sanctæ Claræ, reliquum Sanctæ Mariæ Magdalensæ Ordinis Sancti Augustini Civitatis Neapolitan, utrumque sub gubernio Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum, nonnullas ortas esse lites, controversias, et dissensiones, attento, quod dilectus filius primodicti Monasterii S. Claræ Guardianus Frater expresse Professus ejusdem Ordinis S. Francisci Reformatorem contendat, ad se, uti Commissarium Apostolicam utriusque Monasterii hujusmodi spectare, sibi que licere, non

solum Guardianum pro tempore existentem secundo dicti Monasterii Sanctæ Mariæ Magdalensæ in possessione Officii Guardianatus illi demandati immittere, verum etiam suffragia, cum res sit de Monialibus, educandis, famulisque in eodem Monasterio recipiendis, colligere, ac sacris Ecclesiasticisque functionibus, quæ in secundo dicto Monasterio prædicto solemniori pompa, et paratu, singulis annis juxta Ritum Ecclesiæ, sive etiam in Vestitionibus Monialium, sive earum respective professionibus fieri solent, ac etiam Capitulis pro electione Superiorissæ, aliarumque dicti Monasterii Officialium, ac illarum confirmationis, invitit ipsis, Superiorissa et Monialibus, ac Guardiano prædicto, interesse. Ipse vero Carolus Rex, lites hujusmodi per Nos dirimi, ac penitus evelli, ac in præmissis provideri plurimum desiderat.

§. 3. In hoc rerum statu Nos, piis ejusdem Caroli Regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, Pastoralis cura prædictorum omnium cognitione assumpta, amborum partium rationibus, mature perpensis, ac post plenum, maturumque examen in eam venimus sententiam: Non licere Guardiano Monasterii Sanctæ Claræ, uti Commissario Apostolico Monasterii Sanctæ Mariæ Magdalensæ, explere solemnitates, et actus, de quibus agitur, invitit Guardiano, et Monialibus secundo dicti Monasterii nec non alterum eligi, qui Commissarii, seu Visitatoris munus gerat, deputandum pro utroque Monasterio, arbitrio Cardinalis Protectoris, exclusis in perpetuum, ab eodem Officio, Guardianis prædictorum Monasteriorum.

§. 4. Ac propterea Monialium utriusque Monasterii hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia, absolventes, et absolutas fore censentes. Supplicationibus ejusdem Caroli Regis Nobis humiliter porrectis inclinati dilecto Filio Nostro Hieronymo S. R. E. Diacono Cardinali Columnæ nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac dictorum Monasteriorum apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protectori, ut eorundem Monasteriorum Sanctæ Claræ, et Sanctæ Mariæ Ma-

Guardiani Monasteriorum S. Claræ, et S. Mariæ Magdalensæ excluduntur, ab solemnitatibus et actibus jurisdictionali-bus.

Injungitur Cardinali Protectori, ut iisdem Monasteriis alium deputet Commissarium Apostolicum, et Visitatorem.

gdalenæ in locum Commissarii Apostolici, quacumque auctoritate, et superioritate electi, et deputati alterum in Commissarium, seu Visitorem, qui munus Commissarii, seu Visitoris pro utroque Monasterio deputati, arbitrio tamen dicti Hieronymi Cardinalis moderni, et pro tempore existentis Protectoris hujusmodi gerat, exclusis in perpetuum ab eodem Officio Commissarii, seu Visitoris Guardianis prædictorum Monasteriorum, eligat, et deputet, auctoritate Apostolica, tenore præsentium injungimus, et mandamus, ea tantum lege, et conditione, ut Commissarius, seu Visitor Monasteriorum hujusmodi pro tempore electus, et eligendus, nullo unquam tempore quoscumque actus, nempe, Guardianum Monasterii Sanctæ Mariæ Magdalænæ in possessionem Guardianatus sui muneris immittere, suffragia colligere, Sacris interesse functionibus in Ecclesia Monasterii hujusmodi pro tempore quacumque de causa habendis, nec non Monasterii hujusmodi pro electione Superiorissæ, aliarumque Officialium confirmatione, Capitulis faciendis, invitis Monialibus, et Guardiano prædicto Monasterii Sanctæ Mariæ Magdalænæ facere possit, et valeat.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis prædictæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstante, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, nec non quibusdam fel. rec. Clementis VI., Urbani VIII., et Clementis XII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Literis, quoad ea, quæ præsentibus Nostris Literis adversantur, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non Monasteriorum, et Ordinum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apo-

stolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die Vigesima Junii Millesimo septingentesimo quinquagesimo Nono. Pontificatus Nostri anno primo.

LXIV.

Parisiensem Sacræ Theologiæ Facultatem comendat ob censuram contra Librum *de l'Exprit* a Facultate ipsa editam, et illius jussu Typis impressam.

Dat. die 26.
Jnn. 1759.
Ann. 1.

Hujus Pontificis Constitutio, qua damnatur Liber = de l'Exprit = relata superius est. Num. XXXIV.

Dilectis Filiis Facultatis Parisiensis Sacræ Theologiæ Magistris.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii salutem, et Apostolicam Benedictionem.

§. 1. Accepimus sane, Dilecti Filii, censuram noti, perniciosique Libri *de l'Exprit* inscripti, a celebri ista Facultate vestra editam, ipsius jussu typis impressam, atque per Literas dilecti Filii moderni ejusdem Facultatis Syndici, ad Nos transmissam. Quo autem graviore dolore affecti fuimus, cum intelleximus, per florentissimum istud Galliarum Regnum, non multo ab hinc tempore varios vulgari, atque in lucem emitti libros, falsas, erroneas, impias, ac Religionis, bonorumque morum eversivas doctrinas continentes,

Studium
Theologicæ
Facultatis
comendatur,
contra Librum
de l'Exprit
insurgens.

Clausula
sublata, et de-
cretum irritans

Derogatio
contrariorum.

inter quos certe memoratus Liber de *P Exprit* unus ex perniciosioribus habitus est, atque adeo uti talis a Nobis per alias Nostras in simili forma Brevis literas, die 31 Jannarii currentis Anni damnatus, atque prohibitus, eo majori consolatione repleti fuimus, cum audivimus, non solum Ecclesiam, et Regiam auctoritatem, efficacioribus interpositis decretis, tot offensiones, et scandala, mirabili plane consensione, coercere statuisse, verum etiam Vos, Dilecti Filii, omnia vestra studia adhibuisse, ne venenati errores, summo cum incantorum Christifidelium discrimine, in eodem libro, partim malitiose, partim impudenter expositi, detegerentur.

Facultatem
prælaudatam
exhortat, ut
in Religione
tuenda per-
sistat suis stu-
diis, et labo-
ribus.

§. 2. Quapropter facere non possumus, quin, uti par est, eximium zelum Vestrum, gravissima hac in re impensum, Apostolicis laudibus prosequamur, atque una simul, Deum scientiarum dominum, enixe precemur, quo omnes Ecclesie Catholice filii, Vestra præclara exempla sectantes, hujusmodi librum, qui Fidei Orthodoxæ lumen, et morum candorem in ipsis obscurare possent, penitus arceantur, et exhorescant. Cum vero satis omnibus exploratum sit, quantum Theologicæ disciplinæ debeant, illustri Vestrae societati, quæ partim comunibus laboribus a Doctoribus, quæ illam constituunt, susceptis, partim peculiariibus eorum, qui in ea instituti fuerunt studiis, tantopere, tum Sacrosante Religionis, tum sanctæ moralis integritati, ac tutamini proficit. Nihil Nobis reliquum ideo est, quam Vos rogare, et in Domino exortari (etsi minime hisce stimulis egeatis), ut quemadmodum magna, cum Vestri nominis celebritate hactenus fecistis, Catholicam Ecclesiam, et Patriam Vestram, assiduis Vestris obsequiis, novisque laboribus juvare, et illustrare pergatis. In cujus rei auspiciis, Vobis, Dilecti Filii, paternæ charitatis pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diocesis sub Annulo Piscatoris die 26 Junii 1759 Pont. Nostr. Anno Primo.

LXV.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, et Regularium, nec non Correctoris Generalis Ordinis S. Francisci de Paula Minorum, super sexenniali celebratione Capituli Provincialis Provinciæ Calabriae Ulterioris in Conventu Pitii dicti Ordinis convocandi, non obstante contraria consuetudine, et alternativæ lege.

Dat. die 3.
Jul. 1759.
Ann. I.

Clemens Papa XIII.
Ad futuram rei memoriam

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii Joannis Alphonsi Carcio, Fratris ex-
presse professi, ac Correctoris Provin-
cialis Provinciæ Calabriae Ulterioris Or-
dinis Sancti Francisci de Paula Mini-
morum nuncupatorum, Congregationi
Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E.
Cardinalium, negotiis, et consultationi-
bus Episcoporum, et Regularium præ-
positæ, nomine etiam ex Provincialium,
Collegarum, et Definitorum Provincia-
lium exposito, quod in electione Cor-
rectoris Provincialis Provinciæ hujus-
modi pluribus ab hinc annis, vigore
alternativæ legis, solitum est haberi
Capitulum quolibet triennio, nempe
uno in Conventu Montis Leonis, alte-
ro vero triennio in Conventu Catanza-
rii ejusdem Provinciæ, unde Capitu-
lum Provinciale, quod mense Septem-
bri proxime venturo, juxta dictam al-
ternativam, atque quoddam Decretum
in ultimo Capitulo Definitorio factum,
habendum est, celebrari, atque exequi
deberet in prædicto Conventu Catanza-
rii, qui expertus est maximum affer-
re incommodum pluribus ex causis
ejusdem Provinciæ Vocalibus, et præ-
sertim quia Civitas Catacen, multum di-
stat a mari, et a Conventibus Provinciæ
prædictæ, ac propterea pro accessu Vo-
calium, ne dum gravissimæ expensæ
impendendæ sunt, verum etiam Vo-
cales magno labore, periculo, et ja-
ctura exponuntur, ac proinde exponen-
tes prædicti ad tollenda hujusmodi in-
commoda, pericula, jacturas, et expen-
sas plurimum desiderabant, ut Cap-
itulum Provinciale dictæ Provinciæ,
quod vigore alternativæ legis in me-
morato Conventu Catanzaarii celebrari
solitum erat, in posterum, et in futu-
rum in Conventu Oppidi Civitatis Pi-
tii celebretur, et celebrari posset, ac
ad dictum Conventum Pitii transfera-

Preces porre-
ctæ super sub-
rogatione loci,
in quo sexen-
nalis convoco-
lio Capituli
Provincialis
habenda erit
in posterum.

tur, qui cum positus sit in medio Provinciae, hujusmodi Vocales minoribus incommodis, labore, et expensis, imo facillime, et absque ullo periculo accedere possunt, et poterunt, eo magis quia dictus Conventus prope situs Maris extractus, capax, et bene dispositus sit ad illos recipiendos; attento, quod in eodem Conventu plura habitacula sint Capitula Definitoria, et ad praesens in elegantiore formam redactus majorem adhuc continet capacitatem. Eadem Cardinalium Congregatio suum edidit Decretum tenoris, sequentis, videlicet = Sacra Congregatio Emorum, et Rmorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, ad quam SSms Dñs Noster Supplicem libellum remisit, attenta relatione P. Procuratoris Generalis, benigne commisit Patri Generali, ut, veris existentibus narratis Oratorum precibus, pro suo arbitrio, et consensu indulgeat pro gratia juxta petita = Romae 6 Aprilis 1759. C. A. Card. Cavalchini P. H. Guilielmi Secr. = Loco ✕ Signi

§. 2. Subinde vero dilectus itidem filius Petrus de Vaux Corrector Generalis dicti Ordinis, vigore facultatis sibi a memorata Cardinalium Congregatione attributae, suum edidit Decretum, tenoris sequentis nempe - Cum Nobis comperta sit expositorum veritas, facultate Nobis ab hac Sacra Congregatione per suum praednotatum decretum commissa utentes, Oratoribus, ut in vertente anno, et in perpetuum, quolibet recurrente sexennio, sua Capitula Provincialia in Conventu Civitatis Pitii celebrari possint, et valeant benigne indulgemus, non obstantibus quibuscumque in contrarium consuetudine, decreto, regula, et statutis Ordinis, et Provinciae, firmis tamen remanentibus caeteris alternativae conditionibus. In quorum fidem etc Datum Romae in Conventu Nostro Regio Sanctissimae Trinitatis die 12. Aprilis 1759 Fr. Petrus de Vaux Gen. Minimorum de Mandato Rmi P. Generalis Fr. B. Couschery Secretarius = Loco ✕ Signi

§. 3. Cum autem, sicut dicti exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi praeserta Decreta, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicae Confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere cupiant. Nos ipsos Exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ec-

clesiasticis censuris, et poenis quovis modo, et quacumque da causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeserta Decreta cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adijcimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in ipsius Petri Correctoris Generalis Decreto intervenerint, supplementum, et sanamus, ac quatenus opus sit, attenta majori Conventuum dictae Provinciae Calabriae Ulterioris utilitate, majorique vocalium commodo, non obstante quacumque hucusque observata vigore dictae alternativae, consuetudine, ac Decreto, in nupero Capitulo Definitorio ejusdem Provinciae edito, Capitulum Provinciale ipsius Provinciae, quod in praedicto Conventu Civitatis Caltacen antea celebrari solebat, in altero ipsius Provinciae Conventu, nempe in illo Oppidi Civitatis Pitii in posterum et in futurum mense septembris proxime futuro inchoari haberi, et celebrari debeat, dicta auctoritate statuimus, praecipimus, et mandamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis exponentibus, aliisque pro tempore existentibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, et Provinciae hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegis quoque indultis, et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemisso-

S. Congregatio Episcoporum, et Regularium petitioni pro subrogatione postulata indulget.

Rescriptum Exequitoriale Correctoris Generalis superius laudati decreti S. Congregationis.

Decretum S. Congregationis, et exequitoriale rescriptum Correctoris Generalis confirmatur, et approbatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrarium.

rum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Julii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno primo.

LXVI.

Regulas Cancellariæ, Universi fere Summi Pontifices publicare fecerunt in eorundem Pontificatum exordio, illasque impressas invenire præstat in Bullario Mainardi. Nos præsentis Pontificis Regulas in fine primi anni Pontificatus collocavimus, quia earum publicatio locum habuit quatuordecim dies post illius ad summi Apostolatus assumptionem, et ne series Apostolicarum Constitutionum, interrupta per hanc foret Regularum insertionem.

Regulæ Ordinationes et Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ Sanctissimi D.N.D. Clementis Divina Providentia Papæ XIII.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus Noster Dominus Clemens Divina Providentia Papa XIII., Suorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, et ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suæ Assumptionis ad Summi Apostolatus apicem, videlicet, die VII. mensis Julii Anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, Reservationes, Constitutiones, et Regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Albericus tituli Sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Archinto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, die XXI. mensis Julii in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservationes generales, et speciales.

§. 1. In primis fecit easdem Reservationes, quæ in Constitutione fel. record. Benedicti PP. XII., quæ incipit: *Ad regimen*, continentur, et illas innovavit, ac locum habere voluit, etiam si Officiales in eadem Constitutione expressi, Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officia-

les erant, obtinebant. Declarans nihilominus Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi, ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quâncumque, assequuti fuerint sub hujusmodi reservationibus comprehendendi; Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem piæ mem: Joannis Papæ XXII., quæ incipit: *Execrabilis*; vacant, vel vacare contigerint. Quam Constitutionem, et reservationem S. S. tam ad Beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarii, et alii Collatores contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, et disponunt in futurum, extendit, et ampliavit, et ea etiam Beneficia omnia dispositioni Suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores, contra ejusdem Concilii decretorum formam, dispositum fuerit. Decernens irritum etc.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, et Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatum, vacaturorum Beneficiorum

2. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, nec non omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri, communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et imposterum vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in literis exprimat. Ac etiam reservavit Dignitates, et Beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collatorum, et Collatricum Sæcularium, et Regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates, Apostolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum. Decernens irritum etc.

*Extensio reservationis Beneficiorum
per assequutionem pacificam
vacaturorum*

§. 3. Item, si quis de Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim Curam Animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assequutionem, alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, per eos tunc obtenta, in fraudem reservationis Suxæ, resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, et declaravit, quod si imposterum, quibusvis personis de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, et provisionis, seu assequutionis eorundem Beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia, per eos tunc obtenta, nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suxæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, et singulæ concessionem, collationem, provisionem, et quævis aliæ dispositionem, de beneficiis, seu juribus, sic resignandis, dimittendis, et cedendis pro tempore faciendæ cum inde sequentis quibuscumque, cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, et jura, ut præfertur resignata, dimissa, et cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas Sua, etiam quoad hoc extendit, et ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium, quam per eandem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, et per omnia perinde, ac si per pacificam assequutionem Beneficiorum aliorum hujusmodi, vere, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit, Beneficium de quo resignans fuerit auctoritate Apostolica provisi, ac per cujus assequutionem Beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perin-

Bull. Rom. Tom. I.

de, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter, et appellatione remota exercendis. Decernens irritum etc. attentari.

*Reservatio Dignitatum; necnon suorum
et S.R.E. Cardinalium familiarium,
Beneficiorum*

§. 4. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, et Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes, principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales, et Præceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non Militiarum) ac quæcumque Beneficia, quæ sui, etiam, dum Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S.R.E. viventium nunc, et qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui commensales, obtinent, et imposterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem, vel alias recesserint. Declarans, Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel Ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliâ quovis modo in quibuscumque Collegiatis Ecclesiis principalem præemiuentiam habere noscuntur sub reservatione prædicta comprehendere debere. Decernens irritum etc.

*Reservatio Beneficiorum Collectorum,
et Subcollectorum.*

§. 5. Item reservavit generaliter omnia et singula Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum, et Unicorum in quacumque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore Officia exeruerint, Subcollectorum, fructuum, et proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ durante eorum Officio obtinebant, et in quibus seu ad quæ jus eis competeat. Decernens irritum etc.

*Reservatio Beneficiorum Curialium,
dum Curia transfertur.*

§. 6. Item reservavit omnia, et singula Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco, quancumque etiam a dicta Curia remoto; Decernens irritum ec.

*Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum
et Cursorum.*

§. 7. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni Suae; omnia Beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum Suorum, declarans in praedecessorum Suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, et regulis reservatoriis Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, et publicationis intelligi, et compræhendi, ac compræhensos fuisse, et esse. Irritumque etc. attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, et S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, et Beneficiorum titularum Cardinalium a Curia absentium.

§. 8. Item reservavit dispositioni Suae generaliter quoscumque Canonicatus, et Præbendas, ac Dignitates, Personatus, et Officia in S. Joannis Lateranensis, et Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, et præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S.R.E. Cardinalium a Romana Curia absentium ratione Suorum Episcopatum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titularum, et Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, Canonicatus, et Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, et Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura vacantia, ac in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in Ecclesiis, Civitatibus, ac Diocesis dictorum Episcopatum consistentia, ac decrevit irritum.

*Reservatio mensium Apostolicorum,
et alternativa pro Episcopis
residentibus.*

§. 9. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, et sine cura, sæcularia, et quorumvis ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, et Novembris mensibus, usque ad Suae voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias, quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem provisionem, præsentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, et Collatricum sæcularium, et quorumvis Ordinum regularium (non tamen S.R.E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam, et quoscumque alios initis, et per eos, qui illa acceptare, et observare debuerant acceptatis, et observare, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni Suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint, dispositive mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, et pinguiore Præbendas, nec non privilegia etiam in lumine erectionis, concessa, et indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi Beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus numquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, et fortioribus, efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, et latissime extendi voluit, quibusvis personis, et Collegiis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus, quomodolibet concessa, adversus Reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis intenta, ipsis, quamdiu apud Ecclesias, aut Dioceses suas vere, et personaliter resederint dumtaxat, de omnibus, et quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, et sine cura sæcularibus, et regularibus, (ad liberam ipsorum dumtaxat, non

antem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus, quæ in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, et Decembris extra Curiam ipsam vacare contingerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem, tempore Sui Pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione Beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, et Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni Sux, ut præfertur, reservavit,) seu etiam aliorum dispositioni Sux, et dictæ Sedis, alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quominus provisiones, et gratiæ Sanctitatis Sux de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, et beneficio prædictæ facultatis, eo ipsi privati existant, ac collationes, et aliæ dispositiones de Beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque Civitate, vel Diocesi datas declarare, et litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Sux transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, et recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, et non antea uti incipiant gratia supradicta. Insuper declaravit, quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis, quomodocumque unitis ex Apostolica concessione, et dispensatione, quomodocumque præsit, teneatur hujusmodi alternativæ gratiam, quateus ea potiri velit, utriusque Ecclesiæ nomine explicite acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, et admissionem in Dataria, neutri parti liceat, nisi concordî consensu ab ea recedere. Declarans præterea, exceptionem positam in Regula favore S.R.E. Cardinalium, et indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, et consortii juxta declarationem fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam

Bull. Rom. Tom. I.

Sanctitas Sua in omnibus, et per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscumque etc. judicari debere, ac irritum etc.

De Literis in forma ratione congruit expediendis

§. 10. Item voluit idem D.N. Papa, quod concessa per felic. record. Benedictum XIV. Prædecessorem Suum, et de ejus mandato expediantur in forma *Rationi congruit etc.* sub die Coronationis Sux, ut moris est, et idem quoad concessa per piæ mem. Clementem XII. etiam Prædecessorem Suum ad sex menses dumtaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos, observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, et Beneficiorum per Prædecessores reservatorum

§. 11. Item declaravit omnium, et singularum Ecclesiarum Cathedralium, et Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, et dispositioni eorum, nec non omnia, et singula Beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni, cum interpositione decreti, reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria, nec non sic reservata Beneficia tempore obitus eorundem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis Administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, et remanere per hujusmodi reservationem, et Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquomodo. Decernens irritum, et inane, si secus super illis attentatum forsitan erat, tunc, vel imposterum contingeret attentari.

Revalidatio Litterarum Prædecessoris Gratia, et Justitiæ infra annum concessarum.

§. 12. Item prædictus D.N. omnes, et singulas a Benedicto XIV. Romano Pontifice Prædecessore Suo, infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratia, vel Justitiæ litteras temporibus debitis, earum Exequutoribus, seu Judicibus non præsentatas, omnino revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus

erant obtentæ, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit per Exequutores, seu Judices prædictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, et debere juxta illarum formam.

Revocatio Unionum.

§. 13. Item rationalibus suadentibus causis, ipse D.N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, et dismembrationes, etiam perpetuas de quibusvis Cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis, eorumve domibus, prædiis, et locis per cessum, vel decesum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem qualiacumque fuerint invicem, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, et Mensis etiam Capitularibus, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Beneficiis, ac Piiis, et aliis locis, Universitatibus etiam Studiorum generalium, et Collegiis, etiam in favorem S. Romanæ Ecclesiæ Monasteriis, et Beneficiis per eos obtentis quomodolibet, Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, et aliorum Piorum, et Religiosorum locorum, ad Fidei Catholicæ defensionem, et propagationem, bonarumque artium cultum institutorum,) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quascumque concessionem, et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, et aliis præmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit, et irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis, etiam, quæ Motu proprio, aut ex certa scientia, et consistorialiter processerunt, et emanarunt literis, etiam si in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contenta, adversus revocationem, et irritationem humodi, voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum etc.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

§. 14. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriar-

chis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis personis, ac Prælatiis, etiam utriusque Signaturæ Referendariis, nec non Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, et proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super Matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, et ætatis defectibus, et de incompatilibus Beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, et alias a præmissis officia ipsorum Nunciorum, et Collectorum directe non concernentes, etiam si in literis desuper confectis, sint clausulæ restitutoriæ, et derogatoriarum derogatoriæ, et aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia; in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiam si Nunciis, eisdem dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum etc.

Revocatio facultatum conferendi Beneficia reservata.

§. 15. Item revocavit quascumque facultates, et literas desuper confectas, per quas quicumque Sui Prædecessores Romani Pontifices, quibusvis personis Ordinariam collationem, seu aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, de jure, vel consuetudine habentibus, et quavis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione, vel intuitu, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis, ac irritantibus, et aliis decretis quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de Beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem, communiter, vel divisim spectantibus, disportere libere, et licite valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarii perpetui, vel ad tempus constitui forent: Decernens irritum, et inane etc.

De dictionibus numeralibus.

§. 16. Item, ut Apostolicis literis, committendi crimen falsi, per amplius tollatur occasio, voluit, et ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, et Kalendas, immediate poni consueverunt, per litteras, et syllabas extense describantur, et illæ ex prædictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittatur.

De concurrentibus in Data.

§. 17. Item voluit, quod de concurrentibus in Data ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis Beneficiis, illi quibus gratiæ, Motu Proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati, non graduatis, ac inter graduatos, magis graduati, ac inter æqualiter graduatos, prius graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas alias in Curia præsentibus, absentibus ab ea, ac inter præsentibus, non beneficiatis, et similiter inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, et Diocesanus, non Diocesano; In reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras eorum exequentibus præsentaverint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, Beneficiorum assequutione, præferantur.

De non tollendo jus quæsitum.

§. 18. Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, Justitia postponatur, Idem D. N. decrevit, et declaravit, Sux intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi etiamsi Motu Proprio, et ex certa scientia, ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

§. 19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam, aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimi-

serit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, et postea infra viginti dies, a die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

§. 20. Item voluit, quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui personæ de Parochiali Ecclesia; vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, intelligibiliter loqui sciat idioma loci ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, et gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi, nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum etc.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

§. 21. Item si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet, provisio, et quævis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto Supplicanti, per obitum hujusmodi denuo faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus, et unionum confirmatione.

§. 22. Item voluit, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annum valorem secundum communem estimationem, tam Beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

§. 23. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit Constitutionem fel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, et in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit: *Viam ambitiosæ cupiditatis etc.* firmiter observari.

De male promotis.

§. 24. Item de Clericis extra tempora a Jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque Dimissoriis literis ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit, Constitutionem piæ mem. Pii Secundi similiter Prædecessoris sui desuper editam, et in dictæ Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit: *Cum ex Sacrorum Ordinum etc.* pari modo observari.

De Moneta

§. 25. Item declaravit idem Dominus Noster, quod libra Turoneusium parvorum, et florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus literas, et Cameram Apostolicam computari, et extimari debeant.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, et Monasteria.

§. 26. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quod quæcumque concessionem, gratiæ, et mandata, etiam Motu Proprio, et cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque, ad Ecclesiarum, et Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessionem, et mandata, diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, nec non quæcumque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, et quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, et regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque Prælaturas, inter illarum vacationis, et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde ser-

quitis pro tempore sint cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.

§. 27. Item eum ante confectio-nem literarum, gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romana Curia, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S.R.E. Cardinales, Causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationum signaturam, super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ), sed juxta literarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernens irritum etc. Et si literæ ipsæ, per præoccupationem, vel alias, minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

§. 28. Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, et Constitutionibus inibi descriptis, faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem Regularum, et Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, et negociorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium, plerumque tenacem desuper memoriam non habentium, depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, et aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus, super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat, stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper a duobus Majoris præsentia, quod danda sit, a tergo signatæ, et

etiam a duobus aliis literarum Apostolicarum Abbreviatoribus, in ipsa Cancellaria auscultatæ, et Vicecancellarii, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est, quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris, vel momenti.

De subrogandis Collitigantibus.

§. 29. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, et ne novi Collitigantibus adversarii dentur, providere voluit, statuit, et ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico collitigantem in Jure, vel ad jus, si quod forsitan ejus adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus Collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum Adversarium, postquam illud per triennium pacifice possiderit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso Jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessionem, etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tamquam Collitigantes in eorum Juribus facilius subrogentur; Voluit, ut deinceps nullus in Jure, vel ad Jus in Beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, et subrogatio, vel gratia si neutri, si nulli, seu novæ provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem, et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsitan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De verisimili notitia.

§. 30. Item voluit, et ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante Datam gratiarum hujus-

modi, tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ, de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem SS. D. N. verisimiliter potuerint pervenire.

Non valeant Commissiones Causarum, nisi Litteris expeditis.

§. 31. Item quod omnes, et singulæ Commissiones Causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentu, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum de Beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

§. 32. Item voluit, quod impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis, tenëatur exprimere nomen, et titulum ipsius Cardinalis, etsi ille in Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla, et idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, et ubilibet etiam in locis, infra duas Dietas vicinis, degentes, familiarumque, et lares in eadem Curia retinentes, ab ipsa Curia recesserint, ad eandem illico reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint. Ita, quod Cardinalibus alias quam, ut præfertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria, et hic necessario exprimenda, absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed Beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, et Sedis Apostolicæ provisionem, et dispositionem pertineant. Declarans Regulas, et Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam a die earum editionis, et publicationis, super assensu hujusmodi præstando, sic intellectas, et intelligendas fuisse. Irritumque etc. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares, eorundem Cardinalium familiares esse desiderint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad Beneficia, quæ familiaritate priori durante, obtinuerint, et in quibus, vel ad quæ, priori ipsa familiaritate durante, jus eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans præsentem Constitutionem locum non habere in illis

Beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinissent, et ratione Officiorum per eos obtentorum, dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparent. Nec non illos, quoad effectum dictæ Constitutionis, familiares eorundem Cardinalium censi, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales, ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum. etc.

Super eadem familiaritate.

§. 33. Item D. N., ad evitandas lites, et contentiones, quæ ex præcedenti Sua Constitutione exoriri possent, vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, et ordinavit, quod si Beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditione litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed Beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur, libere spectare censeantur; Et si apud Sedem Apostolicam, Beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium Beneficiorum, super expeditione litterarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorundem collatio, et dispositio, ut præfertur, pertinere deberet. Itaut Cardinalis Ordinarius Collator, in concursu cum Cardinali Patrono, semper præferri debeat, salvis tamen semper Indultis concessis, et concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus. Decernens irritum etc.

Signatura per Fiat præferatur alteri per Concessum.

§. 34. Item voluit idem D. N., quod concurrentibus eadem die super quocumque Beneficio per Fiat, et Concessum signaturis, ex eis per Fiat etiam, ut petitur habens, alteri per Concessum, etiam Motu proprio habenti, præferatur,

etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, et quantumlibet privilegativæ essent clausulæ.

De Annali Possessore.

§. 35. Item SS. D. N., ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque Beneficium Ecclesiasticum tunc, per annum immediate præcedentem, pacifice possessum, et quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto Beneficio Jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses, ipsum possessorem ad iudicium evocari facere; causamque ex tunc desuper infra annum, usque ad sententiam diffinitivam inclusive, prosequi debeat, et teneatur: Alioquin impetratio prædicta, et quæcumque inde sequuta, nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et interesse, possessorem prædictum propterea contingentibus, eis satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Camere Apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vocationis modus etiam per litteras si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut Beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis, per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa excessus, et crimina vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes Beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

De Triennali.

§. 36. Item statuit, et ordinavit idem D. N., quod si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, seu presentatione, et institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et presentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per trien-

nium pacifice possederit, (dummodo in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ, ex reservatione generali in corpore Juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem Beneficiis taliter possessis, molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet, de Beneficiis ipsis sic possessis, factas, irritas, et inanes censi debere decrevit, antiquas lites, super illis motas, penitus extinguendo.

De non appellando ante Sententiam diffinitivam.

§. 37. Item idem D. N., ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus, et expensis, suorum Predecessorum Constitutionibus, et Statutis inhærendo, statuit, et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas imposterum contigerit agitari, nulli, ante diffinitivam sententiam, liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, et commissiones imposterum, et quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam Judicibus præsentatis, et exhibitis, in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, et appellationes etiam ab interlocutoriis, et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna multentur.

Non stetur Commissioni post conclusionem.

§. 38. Item statuit, et ordinavit, quod in Commissionibus de justitia, seu mandatis etiam Consistorialibus per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate, in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiam si in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicite mentio facta fue-

rit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi Commissionis, eidem conclusioni, ac præsentanti Regulæ, derogetur expresse.

De Literis Religiosorum expediendis.

§. 39. Item voluit, et ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem, clausulam ipsam concedat.

De Clausula ponenda in literis permutationis Beneficiorum.

§. 40. Item si committatur alicui Beneficii resignationis receptio, ponatur clausula: *Attente quoque provideas etc.* Et si ex causa permutationis, resignationes fiant, ponatur clausula: *Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in Beneficio per ipsum resignato.*

De supplendi defectibus

§. 41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper præsentanda, hujusmodi defectus exprimantur, vel per *Fiat, ut petitur*, supplicatio signata fuerit.

De derogatione Jurispatronatus

§. 42. Item voluit, quod super quovis Beneficio Ecclesiastico, de Jurepatronatus laicorum, non expediantur litteræ, nisi ponatur expresse, quod tale Beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus Patronis laicis ad præsentandum a Jure præfixum, lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum Jurispatronatus hujusmodi derogari contigerit, Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositive, ac specificè, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in literis provisionis, vel mandato de providendo de dicto Beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De commendis

§. 43. Item voluit, quod nulli sæculari de regulari, nec religioso de sæculari Beneficiis Commenda detur, nisi in Signatura, vel per clausulam ad partem, super petitione Commendæ hujusmodi, de Commenda ipsa mentio fiat.

De reformationibus

§. 44. Item voluit, statuit, et ordinavit; quod super quibuscumque Reformationibus, signatis super impetrationibus quorumcumque Beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literæ super prima Data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Data, cuiquam videatur posse fieri præjudicium, literæ hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi, per *Fiat* sub prima Data, signatæ fuerint.

De consensu in Resignationibus, et Pensionibus.

§. 45. Item voluit, et ordinavit, quod super resignatione cujuscumque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione Juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ literæ nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem, seu cedentem, pluries super uno et eodem Beneficio, in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus teneré debeat, et alii posteriores consensus, ac literæ, eorum prætextu, etiam sub priori Data, expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti, nec literæ reservationis, vel assignationis, etiam Motu Proprio cujusvis pensionis annuæ, super alicujus Beneficii fructibus, expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

De ingressu Religionis.

§. 46. Item non dentur literæ super Beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi professio præcesserit Damm desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

§. 47. Item voluit, quod si petatur aliquod Beneficium vacans, per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec literæ desuper expediantur.

De executione facienda.

§. 48. Item voluit, statuit, et ordinavit, quod quotiescumque per Signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel Dignitatis, cujusvis, Judex datur, literæ desuper expediantur cum expressione, quod idem Judex executionem faciat per se ipsum.

De dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

§. 49. Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula: *Si mulier rapta non fuerit.* Etsi scienter, ponatur clausula: *addita in quaterno.*

Super defectu Natalium

§. 50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu Natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula: *Quod non præjudicetur illis,* ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.

Super Dispensationibus

§. 51. Item, quod per quancumque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

§. 52. Item, cum concessionem super gratiis Dispensationum quarumcumque, quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblati, multa sint petita, ne quis talium

concessionum prætextu, id dispensative tenere, aut facere præsumat, ad quod concessionem hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N., quod nulla talis dispensatio, cuiquam in Iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea Literæ Apostolicæ sint connectæ.

De clausulis ponendis in literis Indulgentiarum

§. 53. Item voluit, quod in literis Indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel Cappellæ, aut alias aliqua Indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi literæ sint nullæ.

De Indulgentiis concessis ad instar.

§. 54. Item voluit idem D. N., quod literæ super Indulgentiis non expediuntur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

§. 55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de Beneficiis, vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per Marchas argenti, aut Sterligorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam, secundum communem æstimationem exprimat, nisi personæ prædictæ, beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ: Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua, Motu Proprio emanare contigerit, quo ad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac literis per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, et Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monasteria, et alia beneficia Ecclesiastica sæcularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus, et ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De Clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis

§. 56. Voluit, et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ si petantur, etiamsi illud quovis modo etc. seu per Constitutionem *Execrabilis* vacet, et specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut *si neutri*, vel *si nulli etc.* petente, si tunc lis specificè exprimat, nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione, specialis, et expressa, ac pure, et non sub conditione mentio fiat, et tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum, generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus seu pro collitigantibus *Si neutri* vel *si nulli etc.* sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cujus beneficium conceditur Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officiale fuisse, clausula ponatur, etiamsi dictum beneficium ex eo, quod talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis Officialis, fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura, per duplex Fiat, sigata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

§. 57. Item voluit, quod super beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum videlicet, an Dignitates, Personatus, vel officia sint, eis que imminet cura animarum, et ad illa consueverint, qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimentur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas, consueverint habere.

De beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii

§. 58. Item si reservetur beneficium per contractum Matrimonii, non datur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum Religionis, vel assequutionem vacaturis, ponatur clausula, etiamsi non petatur, cum beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo etc. præterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiamsi vacant. Decernens irritum etc.

De clausulis ponendis in literis Religiosorum

§. 59. Item voluit, quod si petatur, aliquem in Religionem recipi, et sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri, per simplicem signaturam Fiat, receptio hujusmodi dumtaxat detur, adjuncto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat, et exprimat si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, et si numerus iste non existat, ponatur; Dummodo receptionis locus hujusmodi, nimium propterea non gravetur. Possintque Exequutores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.

De translatione Religiosorum

§. 60. Item, si Regularis petat, sibi de beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausula, si est ita.

§. 61. Item, quod in literis super beneficiis, per Constitutionem *Execrabilis*, vacantibus, ponatur clausula, *si est ita*, similiter de quibuscumque narratis, informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti.

§. 62. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur literæ de vacanti, prout expedierint impetranti.

Revocatio decimarum, et aliarum impositionum.

§. 63. Item revocavit quascumque decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, et aliorum onerum impositiones, ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum, subsidiorum, et onerum impositorum ex quavis causa, et occasione expeditionis contra Turchas, et Orthodoxæ Fidei hostes), et quascumque facultates super decimarum, vigesimæ, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, et proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, Collectoribus, et Apostolicæ Sedis Nunciis, ab eisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suae Sanctitatis, et Sedis Apostolicæ beneplacitum, quascumque plenarias Indulgentias ab eisdem Prædecessoribus, ex quavis causa etiam expeditionis hujusmodi, si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur, concessas, nec non deputandi, et eligendi Confessores, qui plenarie absolvant, et alia faciant ad earundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, et facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum. Iant illis, qui implentes injuncta eis in literis Indulgentiarum hujusmodi, jam consequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per hujusmodi, suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum, et inane quidquid facultatum revocatarum earundem prætextu, imposterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

§. 64. Item revocavit, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curie, pro tempore vacantium in toto, vel in parte, et quasvis concessionem, et collationem, aliasque dispositiones per fel. recor. Benedictum XIV. aliosque Prædecessores de dictis Officiis, etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earundem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim

contractus, et ex titulo oneroso, et sub quavis alia verborum forma, quam, et præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, et factas, quoad Officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum vacarunt, et imposterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascumque Infeudationes, Investituras, Gratias, Concessionis, quoquomodo etiam in Emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum etiam Motu Proprio, et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis (extra tamen Consistorium, et sine S. R. E. Cardinalium consilio, et consensu) a die Constitutionis fel. record. Pii PP. V. Prædecessoris sui, super prohibitione alienandi, et infeudandi Civitates, et loca S. R. E. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Quarto Kalend. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocumque, et qualitercumque, et quovis colore factas, et concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, et locis S. R. E., et Sanctæ Sedi Apostolicæ, et tam mediate, quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis, nec non quascumque prorogationes, et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, et locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum finitarum, quibusvis personis, cujuscumque gradus, status, conditionis, et præminentie, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant Dignitate, etiam in vim contractus, et ex quocumque titulo etiam oneroso, et per quascumque tam sub pluvio, quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, et qualitercumque expeditas literas, ac sub quavis verborum forma, quam, et præmissorum omnium tenores, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissime extendendos.

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

§. 65. Item, cum nonnulli in impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus ec. certum per eos expressum annum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, et hujusmodi valorem annum augere possint, ut verius possit in confectione literarum, super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat, declaravit, prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quæ desuper fiet. literarum expeditione dumtaxat augeri posse, et eas quas literis jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi Motu Proprio, beneficiales gratiæ, et dispositiones quæcumque, a Sanctitate Sua emanaverint.

De insordescentibus.

§. 66. Item, né personis, pro quibus literæ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem a censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi, et in literis Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis, statuit, et ordinavit, hujusmodi absolutionem, et clausulam in literis, quas in futurum cum illa continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus literas, et supplicationes Apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res veritas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti, ausu temerario, Apostolicis mandatis non obtemperantibus, et Nuncios, vel Exequutores Apostolicæ Sedis, et ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impediuntibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine, per quatuor menses, scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint.

rint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam, ut præfertur, quomodolibet ligati, in illis per annum continuum in-sorduerint.

*Officiales nihil exigant
ultra debitum.*

§. 67. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua, non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curia, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negociorum quorundam expeditionem, in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus, et singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quidquam, prætextu Officiorum, quæ obtinet, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ in eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et præter illam suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi, pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum, et pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pænis. Ac voluit, quod Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, et Camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos, per prædictas pænas, et alias, prout melius expedire viderint, procedant.

*Reservatio Beneficiorum vacantium
Sede Apostolica vacante.*

§. 68. Item Sanctissimus D. N. provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores Suos, Beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de Beneficiis hujusmodi, tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia, et singula Beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus fel. record. Be-

nedicti XIV. Prædecessoris Sui, usque ad diem sextam Julii currentis vacaverunt, et de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, Suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum etc.

Revocatio Indultorum superventiciæ.

§. 69. Item, quia ad importunam nonnullorum sugestionem, quandoque contigit, Prædecessores Suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, et indulxisse Beneficiatis, ut fructus suorum Beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga Creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium, cum gravi successorum præjudicio, et Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, et successorum in Beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit, et annullavit omnia, et singula indulta, et facultates in ea parte, quæ nec dum vere, et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, et ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque quomodolibet Beneficiorum per eos obtentorum, anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, insolutum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam Beneficiorum, et tempus pro Beneficia hujusmodi obtinuerint, minime restricto, et coarctato illorum tenores etc. Decernens irritum etc.

*Quod Cardinales non compræhendantur
sub Regulis faciendis.*

§. 70. Item, cum S. R. E. Cardinales SS. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, et declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, et Regulis per Sanctitatem Suam edendis

non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, vel Constitutiones edendæ de eorundem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem Regulis, et Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

§. 71. Item Sanctitas Sua statuit, et declaravit, quod præmissis, et quibusvis aliis Regulis Cancellariæ, suo tempore edendis, et publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscumque Constitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, et alii Ordinationibus Apostolicis, etiam Motu Proprio, et ex certa scientia emanatis, per quæcumque verba, et decreta derogatoria, irritantia, universalis, et amplissima, et clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, et individua expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo.

De Potestate Reverendissimi D. Vicecancellarii, et Cancellariam Regentis.

§. 72. Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in Litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia, et concessionis fiunt, ac Beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes Causas Beneficiales, etiam non devolutas, committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod Processus, Apostolica auctoritate decretos, aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis, et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos, per Litteras Apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas, de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, et Regularibus dispositioni Apostolicæ generaliter non reser-

vatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonæ parvorum, seu totidem in alia moneta, secundum communem estimationem, valorem annum non exceden.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro Colligantibus, in quibus non detur clausula, generalem reservationem importans.

Item, quod possit, ad ordines suscipiendos arctatis, prorogare terminos, de dictis suscipiendis Ordinibus, usque ad proxima tunc a Jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos Ordines promoveantur.

Ne Apostolicæ Constitutiones, cæteraque ad materiam Ecclesiasticam pertinentia, ab aliis Constitutionibus ad Temporalem Pontificis Potestatem spectantia interciperentur, hæc posteriores omissæ sunt in seriæ cuique pertinenti, hoc primo Pontificatus Anno, ut eo absumpto, continuatam, et separatam seriem. hic obtinerent, quam sane methodum servaturi erimus in quolibet Anno subsequenti, quia de re commonitos Lectores volumus, ne nostræ tribuant negligentia, quod appposito egimus consilio.

LXVII.

Cofirmatur Constitutio Clementis VIII. qua Communitati, et Homines Civitatis Ferrariæ concessa, et confirmata fuerunt eadem privilegia, gratiæ, et indulta, quibus fruebantur sub dominio Ducum Estensium, nec non posteriores Constitutiones Gregorii XV. et Urbani VIII. ea super re deinde editæ.

Dat. die 20.
Nov. 1758.
Ann. I.

De devolutione Civitatis, et Ducatus Ferrariensis ad S. Sedem adest Mandatum de immittendo Clementis VIII. diei 2. Decembris 1597. itemque Mandatum de intimando Cæsari Estensi devolutionis Sententiam ejusdem Pontificis diei 3 Decembris 1597. Conventionem super restitutione Ducatus Ferrariensis Sedi Apostolicæ, approbavit Constitut. prælaudati Pontificis edit. 1598. Jan. 18. Devolutionis acceptionem, et incorporationem Ferrariensis Ducatus, habes in

Constitut. edit. 1598. Jan. 19, et Febr. 11. præfati Pontificis. Facultates tributæ fuerunt Cardinali Aldobrandino, ut regimen, ad normam aliarum Provinciarum Status Ecclesiastici, in Ferrariensi Ducatu redigere posset Const. ipsius Clementis VIII. edit. 1798. Jan. 20. Magistratum, et Consilium Centum virorum in Civitate Ferrariæ, cum privilegiorum concessione, instituit Pontifex idem Const. 1598. Jun. 25. Concessio Oratoris Civitati Ferrariensi, apud Sedem Apostolicam residentis, cum respectivis prærogativis, legitur in Constit. edit. 1599. Martii 1. Rotà Ferrariensis instituitur per Constit. edit. 1599. Maii 29. Absolutio ab inobservantia Constit. Pii V. super bonis Emphytheuticis, et Patrimonialibus Civitatis, et Comitatus Ferrariensis habetur in Const. edit. 1599. Dec. 6. De opera, a quibuscumque Ferrariensibus, præstanda custodiæ, et reparationi Aggerum Fluminis Padi agit Const. edit. 1600. Jan. 18. Zeccham publicam instituit in Civitate Ferrariæ Const. edit. 1602. Jan. 26, quæ omnes Constitutiones sunt pralaudati Pontificis Clementis VIII. perlegendæ in Bullario Mainardi; quæ autem in præsentem referuntur Literæ ejusdem Clementis VIII. diei 5. Nov. 1798. Gregorii XV. diei 14. Octob. 1621, et Urbani VIII. diei 19. Jan. 1624 non reperiuntur impressæ in eodem Mainardi Bullario.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei Memoriam

Exordium

§. 1. **P**ræstantissima devotio, et sincera fides, quas omni tempore dilecti filii Communitas, et Homines Civitatis Nostræ Ferrarien, erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem, magna cum dictæ Civitatis nominis laude, gerere comprobantur, ac paternus amor, præcipuaque charitas, qua Romani Pontifices Prædecessores Nostri semper illos sunt prosequuti, Nosterque peculiaris erga Nostros dictæque Sedis subditos animi affectus, haud dubie postulant, ut gratias, indulta, et privilegia eis a Romanis Pontificibus prædictis concessa, quo firma semper, atque illibata servantur, Apostolici muniminis Nostri patrocínio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Præces porrectæ super præcedentium

§. 2. Sane pro parte Communitatis, et Hominum prædictorum, et pro

eis dilecti itidem filii Judex Sapientium, nec non Sapientes Civitatis Nostræ Ferrarien prædictæ, Nobis expositum fuit, quod dudum Duces Extenses, tunc cum Civitatem, et Ducatum Ferrariensem possiderent, constanti animo semper fuerant omnem curam, diligentiamque, ac studium adhibere pro levamine Familiarum Ferrariensium, illis concedendo, æqua proportione servata, juxta earum qualitates, et conditiones non solum ea bona feudalia, quæ ad Cameram Ducalem devolvebantur, verum etiam ea, quæ Fisco addicebantur; imo eventibus casibus, ut Nobiliores Familiæ, juxta earum conditionem magnifice sese exhibere valerent, illis etiam bona libera vulgo *Allodiali* concedere consueverant, et hisce agendi rationibus, subditi magna existimatione, et decore florebant, quare tot familiis secundariis alimenta consequenter præstabantur, illæqueangebantur, magna cum Principatus, seu Ducatus existimatione, qui tam propter Subditorum facultates, quam propter ingentem illorum numerum, majorem opinione speciem præbet, et id iudicium suscepit clame: Hercules, dum vixit primus hujus nominis Ferrariæ Dux, qui habita consideratione, quod juxta rigidam Feudorum qualitatem consuetudinemque, femine, in illorum possessionem minime succedebant, ita ut plures puellæ tum Nobilis, tum Civilis conditionis inuuptæ remanebant, proprium itaque, ac æquum esse duxit, hujusmodi inordinationibus remedium afferre, prævio sancito Edicto die VII. Decembris MCCCCXII. vulgato, quo reservata Ducis permissione, quæ simplici dumtaxat postulatu concedebatur, cuicumque possessori omnium bonorum feudaliū, liberam, et omnimodam alienationem, nullo requisito, nec obtento, ulteriorum vocatorum consensu, permitti mandaverat, quæ quidem declaratio, seu permissio secum attulit qualitatem liberam, seu Allodiam eorundem bonorum, pacifice omnibus inde temporibus retentam, talemque plausum, ut pro lege statuaria semper habita fuerit, prout de præsentem in Rub. 343. statuti Vectigalium vulgo *delle Gabelle* ejusdem Civitatis Ferrarien. impressa habere pergitur.

§. 3. Postmodum vero cum per obitum ultimi Ducis Extensis, Civitas, et Ducatus Ferrarien prædicti, Apostolicæ huic Sanctæ Sedi devoluti remansissent, rec: me: Clemens Papa VIII.

gratiarum indultorum, et privilegiorum confirmatione.

Extensium, Ducum providentia, pro levamine, et decore Familiarum Ferrariensium.

Hercules I. Ferrariæ Dux, facultatem fecit in Feudis investitis, libertate alienationis in feminis etiam, prævia tantum Ducis permissione.

Ex qua concessione, Feudalia Bona, semper Ferrariæ ad instar Allodialium sunt habita.

Clemens VIII. Ducum Extensium privilegia, et gratias primus confirmavit.

Prædecessor Noster, ad favorem eorundem Civitatis, et Ducatus Ferraræ subditorum omnia, et singula privilegia, gratias, prærogativas, et indulta a Ducibus Extensibus alias eis concessa, et quibus antea sub illorum regimine gavisi, et potiti fuerant per suam die 5. Novembris MDXCVIII. editam Constitutionem confirmavit, ita ut per huiusmodi confirmationem destinatio, seu concessio, aut assignatio bonorum feudaliæ in favorem dictorum Subditorum firma remanserit.

Gregorius XV. præcepit ut Feudalia bona, qua vacare contingerit Civibus Originariis, et defuncto proximioribus concedi deberent.

§. 4. Subinde fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor quoque Noster, attenta prædicta ipsius Clementis Prædecessoris Constitutione, aut concessione, per quasdam suas in simili forma Brevis die XIV. Octobris MDCXXI. expeditas Literas, decrevit, et declaravit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnia bona feudalia, quæ in Civitate prædicta ejusque Comitatu, et districtu vacare contigisset, aliis Civibus Originariis, et semper proximioribus defunctorum Civitatis, ac Comitatus, et Districtus huiusmodi, sine tamen præiudicio cuiuscumque, cui de jure deberentur, concedi, et conferri deberent, ac aliter pro tempore factas eorumque bonorum feudaliæ concessionem, et collationem, nullas, irritas, et inanes, nulliusque roboris, vel momenti esse, et fore, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ubique judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane; si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Urbanus VIII. defectum insinuationis Literarum Gregorii XV. sanavit, novumque tempus ad eam insinuationem peragendam in Camera Apostolica prælinavit.

§. 5. Postmodum fel. re. Urbanus Papa VIII. Prædecessor quoque Noster, cum prædicti Communitas, et homines Civitatis Ferraræ huiusmodi, certis de causis præpeditis, memoratas Gregorii Prædecessoris prædicti Literas, in Camera tunc sua, nunc Nostra Apostolica, juxta aliam Constitutionem piæ mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris etiam Nostri desuper etiam insinuari, ac in illius libris registrari minime fecissent, ut eorum indemnitati provideret, per quasdam suas in pari forma Brevis die XIX. Januarii MDCXXIV. expeditas Literas ejusdem Gregorii Prædecessoris Literas, adversus Constitutionem dicti Pii, ac lapsum temporis in ea præfixi, auctoritate Apostolica restituit, reposuit, et plenarie reintegravit, ita ut tam dictas, Gregorii Prædecessoris

prædicti, quam suas tunc expeditas Literas, infra sex Menses inde proximos ab illarum data computandos, in eadem Camera insinuari, et in illius libris registrari facere possent, et deberent, easdemque Literas cum omnibus, et singulis in eis contentis, decretis et declarationibus, aliisque clausulis, et ab illarum data valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, eisdemque Civitati, et hominibus suffragari in omnibus, et per omnia perinde ac si Literæ prædictæ in eadem Camera intra tempus ad id ab eadem Constitutione præfixum insinuata, et in illius libris registrata fuissent, suasque vero, et dicti Gregorii Prædecessoris Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri debere decrevit, et alias prout in ipsorum Clementis, Gregorii, et Urbani Prædecessorum prædictorum Literis, quarum tenores etc. continetur.

§. 6. Demum idem Urbanus Prædecessor, cum quædam bona ad eandem Camera Apostolicam devoluta essent, ad effectum augendi, seu adscribendi unam aliam Familiam Nobilem in Civitate, et Ducatu Ferraræ huiusmodi, per suum Chirographum manu propria signatum, seu subscriptum, bona prædicta sic devoluta tunc in humanis agentibus Fabricio, Francisco, et Antonio Mariæ Comitibus de Castel Ferretti, Civitatis Anconitanæ, sub nonnullis expressis, ac volutis conditionibus concessit, tenoris sequentis videlicet » Reverendissimo Card. Camerlengo. Essendo ultimamente devoluti alla Nostra Camera Apostolica tre Feudi nel Ferrarese, cioè uno consistente in tre Botteghe poste dentro la nostra Città di Ferrara, nella strada degli Orefici, vacato per non avere Alberto, e Francesco Picchiati, né li suoi Discendenti, ottenuto dalla Sede Apostolica la confirmazione dell'investitura fatta da Duchi di Ferrara, e altre cause, e gli altri due consistenti in Terre, cioè uno di moggia tre, e mezzo di terra arativa, e vitata, posta in luogo detto Calto, per morte del Capitan Flaminio Guarnieri, di rendita di scudi sessanta annui, calcolato un' anno per l' altro, e l' altro di alcune altre Terre poste nella Villa di Sabbioncella, vicino alli Beni di Camillo Gualengo, e altri confui, per morte di Violante, o Francesca Serafini; abbiamo d' essi fatto grazia nel modo infrascritto a Fabrizio, Francesco, e Antonio Maria, Con-

Prælaudatus Urbanus VIII. ad augendam Familiam Nobilem in Civitate Ferraræ, nonnulla devoluta bona Feudalia Comitibus di Castel Ferretti Anconitanis concessit.

Tenor Pontificii Chirographi prædictam concessionem respicientis.

» ti di Castel Ferretti Anconitani. Onde
 » avendo qui per espressi a sufficienza
 » le qualità, confini, situazioni, e vero
 » valore di detti Feudi, l'annuo frut-
 » to, che da quelli si può cavare, e
 » ogni altra cosa necessaria, di nostro
 » Moto Proprio, certà scienza, e po-
 » testà assoluta, ordiniamo a Voi, che
 » in nome Nostro, e di detta Camera,
 » concediate alli detti Fabrizio, Fran-
 » cesco, e Antonio Maria, per loro, e
 » loro Figli, e discendenti maschj le-
 » gitimi, e naturali in perpetuo, e in
 » difetto di alcuno di loro, con il jus
 » accrescendi a chi resta, le dette Terre
 » di detti tre Feudi devoluti come so-
 » pra a detta Nostra Camera, con tutti
 » li Loro membri, e ragioni, e perti-
 » nenze, con peso però, che esso Fa-
 » brizio, Francesco, Antonio Maria,
 » e loro Fgliuoli, e discendenti suddetti
 » siano tenuti di pagare ogni anno a
 » detta Nostra Camera, in ricognizione
 » del suo diretto Dominio, nella Vigi-
 » lia, o Festa de' SS. Pietro, e Paolo
 » Apostoli per cento Ducati di oro di
 » Camera qui in Roma, o in detta Città
 » di Ferrara ad elezione di detti Inve-
 » stiti, e con peso, e condizione es-
 » pressi, che li medesimi, e altri com-
 » presi nella presente concessione siano
 » tenuti, durante detta concessione, ave-
 » re, e tenere in detta Città di Ferrara
 » Casa aperta, e con effetto, abitare in
 » essa, almeno uno di loro continuamen-
 » te, come fanno li veri Cittadini di detta
 » Città, sotto pena di caducità da in-
 » corrersi ipso jure, et ipso facto, au-
 » corchè ne avessero ottenuta liberazio-
 » ne, o abilitazione dal Magistrato, e
 » Consiglio Generale di detta Città; E
 » di più con peso, e condizione espres-
 » si, che li medesimi in ciascun pa-
 » gamento di detto Censo, da farsi co-
 » me sopra a detta Camera nella Vi-
 » gilia, o Festa de' SS. Pietro, e Paolo
 » Apostoli, siano tenuti d'esibire atte-
 » stazione autentica del Legato pro tem-
 » pore di detta Città, della continua abi-
 » tazione come sopra, altrimenti il pa-
 » gamento fatto senza detta attestazio-
 » ne, non sia, nè s'intenda ammesso,
 » ma entri la caducità, e li Feudi s'in-
 » tendano, e con effetto siano, siccome
 » Noi d' adesso per allora, li dichiara-
 » mo devoluti a detta Nostra Camera,
 » insieme con li frutti, che saranno de-
 » corsi dopo l'aver tralasciato d'abitare
 » in detta Città, come sopra, etiam,
 » che fossero esatti, quali in tal caso
 » vogliamo, e parimenti dichiariamo,
 » che si devono restituire, e li predetti

» Fendi si possano concedere ad altri
 » come devoluti ipso jure. Decretando,
 » dichiarando Noi, che li suddetti In-
 » vestiti non possino essere liberati, e
 » abilitati dal suddetto peso, e condi-
 » zione di tener Casa aperta, e abitare
 » in detta Città non solo dal detto Ma-
 » gistrato, e Consiglio, ma ne anco dal
 » Legato pro tempore di essa Città, nè
 » meno da Noi, e Nostri Successori Ro-
 » mani Pontefici, se non sarà fatta es-
 » pressa, e individua menzione nelle
 » Lettere Apostoliche, delli suddetti pe-
 » si, e condizione, poichè con essi, e
 » non altrimenti gli abbiamo fatta la
 » presente concessione. E sopra di ciò
 » glie ne stipolarete l'Istromento neces-
 » sario, poichè tal' è mente Nostra es-
 » pressa. Volendo, e Decretando, che
 » la presente vaglia, ancorchè detti Fer-
 » retti non siano Cittadini Ferraresi,
 » non ostante qualsivoglia Costituzioni,
 » Ordinazioni Apostoliche, leggi, sta-
 » tuti, etiam di detta Città, Riti, Con-
 » suetudini, il Nostro Breve di non con-
 » cedere Feudo nel Ferrarese, se non a
 » Ferraresi, e tutte altre cose, che fa-
 » cessero in contrario, a quali tutte,
 » e singole, avendo il lor tenore qui per
 » espresso a sufficienza, per questa volta,
 » e a quest' effetto, espressamente de-
 » roghiamo. Dato nel Nostro Palazzo
 » Apostolico di Monte Cavallo li 2 di Lu-
 » glio 1638.

Urbanus Papa Octavus.

§. 7. Cum autem sicut eadem ex-
 positio subjungebat, dicti Exponentes,
 præmissa omnia, quo in posterum quo-
 que firmiter sint, et serveantur exactius,
 Apostolicæ Confirmationis Nostræ pa-
 trocinio communiri summopere deside-
 rent. Nos igitur, ipsos exponentes, et
e per conseguenza senz'alcun ordine, senza leggi, e senza statuti particolari, che abbiano potuto indurre un buon regolamento; quindi affinchè per l'avvenire si abbia d'aver miglior metodo, e direzione in questo esercizio, il Publico resti meglio servito, e l'Arte acquisti riputazione, e decoro, adunati insieme tutti li Fornaciari Fabricatori di Bicchieri, ed altri lavori di vetro, e Cristalli ordinarj seriamente riflettendo essere quest'Arte particolare, diversa, separata, e che non ha veruna affinità con tante altre, che si esercitano in questa Città, hanno determinato errigerla in Università indipendente dalle altre, da reggersi, e governarsi con i suoi Statuti, e leggi ad essa convenevoli da approvarsi da rispettivi Superiori, e munirsi ancora con conferma specifica della Santità di Nostro Signore Papa Clemente XIII. felicemente Regnante, che però si prefigono, propongono, e stabiliscono li Capitoli seguenti, e sono

CAPITOLO I.

Dell'osservanza delle Feste, e del Santo Protettore

Dovendo tutte le azioni umane tendere all'onore di Dio, e de' suoi Santi, affine, che colla Benedizione del Signore, causa produttiva d'ogni buon principio, mezzo, e fine, la nostra Università, ed Arte riceva incremento, si esorta ognuno sottoposto alla medesima nostra Arte a onorare le S. Feste prescritte, e da prescriversi dalla Santa Romana Chiesa, e celebrare con ogni amorevolezza, e decenza quella del glorioso S. Antonio Abate, che si è prescelto perpetuo Protettore di Noi, e di detta nostra Professione. La pompa di detta Festa, e le pie opere, che dovranno farsi, restaranno ad'arbitrio della Congregazione.

CAPITOLO II.

Del Console, suo Ufficio, e durazione

Quanto sono necessarie le leggi, e li Statuti per il buon regolamento dell'Arte, altrettanto vi è preciso bisogno vi siano Persone, che ne procurino l'esecuzione, ed insieme assistano agli interessi dell'Università; si stabilisce però, ed ordina, che debba eleggersi un Console, quale sarà Capo di tutta l'Università, e Direttore, ed insieme dovrà

invigilare, ed aver cura della conservazione, aumento, e regolamento della medema, e procurare l'osservanza de presenti Statuti, ed in oltre avrà piena facoltà di fare intimare le Congregazioni di qualunque sorta, e quando gli parerà necessario di farle intimare. L'ufficio del Console dovrà durare un' Anno, e finito detto tempo, dovrà eleggersi un' altro Console, ovvero confermarsi il Console vecchio con pluralità de' voti, e circa il modo dell'elezione di detto Console, dovranno la prima volta nominarsi due soggetti, e quello, che avrà maggiori voti resterà Console, il quale finito il tempo del suo ufficio dovrà nominare due soggetti, per li quali dovrà correre il partito, e quello, che averà più voti resterà eletto per Console, e così dovrà osservarsi ogn' anno in perpetuo.

CAPITOLO III.

Del Camerlengo, e suo ufficio

Si dovrà eleggere un Camerlengo con servare l'istesso metodo, e forma che si è disposto circa l'elezione del Console. L'ufficio di esso Camerlengo sarà di tener conto di tutte le rendite, e d'ogni altro provento spettante alla nostra Università, con facoltà ancora al medesimo di esigere le sudette rendite, e proventi, ovvero assistere, e procurare, che vengano esatti dall'Esattore, che venisse deputato dall'Università, e quelli depositare, e far depositare nel Sacro Monte della Pietà, o Banco di S. Spirito in Sassia di Roma a credito di detta Università, e a disposizione del Console, e Camerlengo pro tempore della medesima, e non potranno erogarsi detti denari depositati, senza la preventiva risoluzione della Congregazione, e con ordine da sottoscrivere da detti Console, e Camerlengo con doversene registrare tanto le risoluzioni, che li pagamenti nel Libro delle Congregazioni dal Notaro, e Segretario dell'Università.

CAPITOLO IV.

Dell'Infermiere, e suo ufficio

L'ufficio dell'Infermiere, che dovrà eleggersi ogn'anno, sarà, che avisato dell'Infermità di alcuno della nostra Università, si porti subito a visitarlo, e con parole amorevoli, e caritative, esortare l'Infermo alla pazien-

za, e rassegnazione alla volontà Divina, e prestargli la solita cortesia.

CAPITOLO V.

Del Sindaco, e suo ufficio

Essendosi provveduto finora degli altri Officiali, e loro ufficio, si stabilisce, che ogn'anno debba eleggersi un Sindaco, la cura particolare del quale sarà di rivedere i conti, e sindacare il Camerlengo, ed ogn' altro, che avesse esalto denaro, ed altre rendite spettanti a detta nostra Università, ovvero avesse amministrato beni della medesima, come ancora di rivedere e tassare i conti, e fare ogn' altra cosa, che suole appartenere ad un simile ufficio quale parimenti dovrà durare per un anno, possa però essere confermato colla pluralità de voti per un altro anno.

CAPITOLO VI.

Che le Cariche siano compatibili

Essendo al presente la nostra Università composta di pochi soggetti, si stabilisce, che le Cariche di Console, Camerlengo, e Sindaco come incompatibili fra di loro, ciascuna di esse debba annualmente possedersi separatamente, nè giammai più di una delle medesime possa ritenersi da uno stesso soggetto; delle altre Cariche poi compatibili potrà in un'istesso tempo ritenersene più d'una da un medesimo soggetto, secondo si stimerà opportuno dalla nostra Università.

CAPITOLO VII.

Delle Congregazioni, e Adunanze, e della validità delle medesime

Dovendosi trattare degli affari spettanti a detta Università, imposizione di tasse per servizio della medesima, o prendere qualunque altra risoluzione, in tal caso dovrà convocarsi la Congregazione, o sia Adunanza, e fattane la proposta dal Console, si risolverà colla maggioranza de voti, che dovranno essere segreti; ed' acciò le risoluzioni, che si prenderanno in dette Congregazioni restino valide, ed eseguibili, si stabilisce, che non possano celebrarsi, se l'intervenienti non passano la metà del numero, che dovrebbe intervenire per celebrarle, e restando in tal caso ineffettuata la Congre-

gazione, quelli, che non intervengono, dovranno incorrere la pena da stabilirsi in altro Capitolo a parte. In dette Congregazioni nessuno abbia ardire di promuovere scandalose risse, e tumulti, nè perdere il dovuto rispetto al Console, o in altro modo offendere gli altri Officiali, e Congregati, ma debbasi tra di loro osservare un' esatta modestia, ed' ognuno debba dire il suo sentimento con rispettarli scambievolmente, altrimenti sia in arbitrio del Console oltre una condegna, e fraterna correzione, quando l' ingiuria fosse grave ricorrere alli Signori Superiori per una giusta punizione.

CAPITOLO VIII.

Di quelli, che potranno esercitare l' Arte

Tutti quelli, che al presente esercitano la sudetta arte, ed hanno le fornaci aperte siano tenuti, e debbano prendere la Patente della nostra Università sottoscritta dal Console, e Camerlengo, e munita con il sigillo della medesima con pagare ciò, che per detta Patente sarà stabilito in un Capitolo a parte, e per l'avvenire non sia lecito, nè in conto alcuno possa veruna persona di qualunque stato, grado, e condizione, ancorchè sia dell'Arte, aprire, e fare aprire Fornace, o Fornacino alcuno, tanto in Roma, che fuori di essa per tutto il suo Distretto senza il pieno consenso di tutti li Padroni di Fornace, e che le persone, che vorranno aprire in qualunque de' suddetti luoghi oltre l'approvazione, e consenso sudetto, debbano avere esercitata la professione di Maestro nella nostra Arte almeno per lo spazio di anni dieci, ed approvate che siano, debbano prendere la solita Patente, e servare la distanza almeno di canne trecento dalle altre Fornaci più vicine, come pure non possa aprire se non metterà una Fornace di quattro vasi, quali non possano tenere meno di Libbre seicento da riconoscersi dal Console pro tempore, e non possano mettersi meno di otto Maestri per ciascheduna Fornace, eccettuata però, e non compresa in detta proibizione la Fornace attualmente esistente in Scandriglia, quale essendo in essere da molto tempo a questa parte, debba rimanere nel suo essere, e nel Privilegio di fabricare i vetrami in tutto, e per tutto come fin' ora ha praticato.

CAPITOLO IX.

Che qualunque Spacciatore, o sia Collatario non possa vendere i Bicchieri, ed altri lavori di vetro senza il bollettino del Console.

Non avendo mai la nostra Arte avuto, nè avere al presente obbligo veruno, nè assegna di dare li vetrami alli Spacciatori, ossia Collatari di Campagna, si stabilisce, che in avvenire nessuna persona possa vendere Bicchieri, ed altri lavori di vetro, e cristallo ordinari fabricati in Roma, senza il bollettino del Console pro tempore di detta Università sotto pena di scudi dieci moneta da incorrersi per ciascheduna volta, e d' applicarsi come in appresso

CAPITOLO X.

Della Ripartizione delli Rivenditori e Collatari

Di tutti li Rivenditori, e Collatari rispettivamente dovrà formarsi un elenco, per raccogliere la quantità de' medesimi, e quelli prescritti dovranno ripartirsi per egual porzione, e ripartiti che saranno, non possano detti Rivenditori, e Collatori provvedersi di Vetri in altre Botteghe fuori che in quelle gli saranno state assegnate, nè li Padroni di Fornaci possano dare detti vetrami ad altri Rivenditori, e Collatori, fuori di quelli saranno stati assegnati, alle loro Fornaci, altrimenti li Padroni, che daranno detti vetrami a quelli che non siano stati ad' essi assegnati debbano incorrere nella pena di scudi dieci per ciascheduna volta, d' applicarsi come si dirà in un Capitolo a parte, e detta ripartizione dovrà farsi dalla piena Congregazione.

CAPITOLO XI.

Delle Tasse.

Tutti li Rivenditori di qualunque sorta di roba proveniente dalla nostra Arte in Roma volendo ritenere, e spacciare le medesime, dovranno prendere dalla nostra Università la Patente con pagare per la medesima per una sola volta scudi tre con prefiggersi ad' essi un congruo, e competente termine tanto a munirsene, quanto per fare esito di quelle robe sudette, che essi si trovano in mano comprate prima dell' presenti Capitoli, con condizione però,

che simile Patente debba durargli persino, che con vendita, cessione, o altro contratto non passi in altro dominio la loro Bottega, il che seguendo, quello, che subentrerà debba prendere la Patente nel modo, e forma come sopra; qual termine spirato, e non munitisi di detta Patente, spacciando, o ritenendo qualunque capo di dette robe, senza l' accennata Patente, incorreranno nella pena di scudi dieci da ripartirsi, ed applicarsi come si dirà in appresso; Li Padroni poi di Fornace dovranno pagare per il mantenimento della Cappella, e dell' arte come sopra un giulio il mese per ciascheduno, li Collatori, che sono soliti di venire a caricare nelle Fornaci di Roma, li Maestri, e Conciatori di dette Fornaci, un grosso il mese per ciascheduno, e li Serventi, Sochinanti, Tizzatori, e Garzoni di Botteghe, mezzo grosso il mese per ciascheduno.

CAPITOLO XII.

Della Mano Regia

Per esiggere le tasse, ammissioni, Patenti, e pene debba competere all' Università la Mano Regia da spendersi avanti S. E. il Sig. Senatore di Roma, o di altro qualsivoglia Giudice ordinario, e quella intimata che sarà, per un giorno avanti, si farà eseguire contro li morosi, secondo la nota, che ne darà il Console, o Camerlengo pro tempore, ed eseguita, si faranno portare li Pegni alla Depositaria Urbana, quando non si diano denari per pagarli liberamente in mano del Camerlengo, o Esattore dell' Università.

CAPITOLO XIII.

De' trasporti delle Fornaci

Che sia lecito, e possano li Padroni, concorrendovi la causa legitima, come di Fabriche nuove, ed' altre da approvarsi dalla Congregazione Generale, trasportare le loro Fornaci non ostante la distanza di Canne trecento come sopra stabilita; dovrà sempre però procurarsi, che il trasporto sia fatto in luogo meno dannoso alla Fornace più vicina, da riconoscersi dal Console pro tempore dell' Università.

CAPITOLO XIV.

Di quelli, che partono da una Fornace per andare in un' altra.

Che qualunque Maestro, Giovane, Conciatore, Servente, Sochinante, Tizzatore, e Garzone, che esercita la nostra Arte, e che attualmente serve, per convenzione da qualunque di essi fatta, con un Padrone di Fornace, partendo da questo per andare ad' un'altra Fornace, per non volere in tutto, o in parte adempire la Convenzione fatta, o perchè pretenda di più di quella per strangolare il proprio Padrone, a cui serve, o per non volere nelle sue mase, o altro servizio, fare intieramente quel tanto, che porta lo stile nella nostra Arte (come pur troppo l' esperienza ha dimostrato di essere più volte occorso, con sommo pregiudizio delle Fornaci, massime in tempo di lavorazione di esse,) o pure per simili mancanze il proprio Padrone licenziasse qualcuno di essi dal suo servizio, non possano questi essere ricevuti da altri Padroni di Fornace al loro servizio, senza il pieno consenso della nostra Università, sotto la pena di scudi dieci, da applicarsi come si dirà in appresso, ogni volta che li ricevessero senza il detto comune consenso.

CAPITOLO XV.

Di quelli, che ricuseranno gli uffici.

Il Console, che ogni anno sarà eletto a detto ufficio, ricusando di volere quello esercitare, incorrerà la pena di scudi dieci, il Camerlengo, e Sindaco di scudi cinque, come pure quelli, che mancaranno alle Congregazioni, e adunanze debbano incorrere la pena di Libbre due di Cera per ciascheduna volta, da pagarsi dette pene irremissibilmente con Mano Regia, quando però non abbiano causa legitima da approvarsi dalla Congregazione, e non si ammetterà scusa se non legitima d' Infermità, o assenza da Roma.

CAPITOLO XVI.

Dell' applicazione delle pene.

Tutte le pene spetteranno alla nostra Università a riserva di quelle prescritte nelli Capitoli 9, 10, e 14, delle quali la terza parte si applicherà all' Eccellentissima Camera Capitolina, una

terza parte alla nostra Università, ed una terza parte all' accusatore, che sarà tenuto segreto.

CAPITOLO XVII.

Delle Patenti

Tutti quelli, che al presente hanno la Fornace debbano, come si è detto nel Capitolo ottavo prendere la Patente dentro il termine di giorni quindici dalla pubblicazione de' presenti statuti con pagare scudi quattro in mano del Camerlengo di detta Università, e giulj sei al nostro Notaro, e Secretario per la sottoscrizione, e Registro di dette Patenti, ed il simile dovrà osservarsi per quelli, che in avvenire apriranno la Fornace, da approvarsi però come si è detto nel Capitolo ottavo.

CAPITOLO XVIII.

Del Notaro, e Secretario

La nostra Università dovrà avere continuamente, come le altre un Secretario, quale sarà Notaro publico; l' Ufficio del medemo sarà d' intervenire a tutte le Congregazioni, e registrare fedelmente li decreti, e risoluzioni, che in quelle si faranno con quell' annuo stipendio, che gli verrà destinato da detta Congregazione.

CAPITOLO XIX.

Circa la validità delle Congregazioni, e Adunanze.

Acciò restino valide le Congregazioni, ed eseguibili le risoluzioni, che si prenderanno, si stabilisce, che non possano celebrarsi se gl' intervenienti non passano la metà del numero, che dovrebbe intervenire per celebrarle, e restando in tal caso ineffettuata la Congregazione, incorrano quelli, che non saranno intervenuti la pena di libre due di Cera, come si è detto nel decimo quarto Capitolo.

CAPITOLO XX.

Dell' Archivio

Per conservare le Scritture si pubbliche, che private, li libri delle Congregazioni, de Sindacati, degli artisti, della matricola, e qualunque altra Scrittura, si debba fare un Crèdenzone da collocarsi nel Inogo, dove si terranno le Congregazioni, e Adunanze,

ed ivi conservare tutte le suddette scritture, sotto tre chiavi, da ritenersi una dal Console, l' altra dal Camerlengo, e la terza dal Notaro, e Secretario, ed uno senza l' altro non possa aprirlo, ed occorrendo estrarre qualche Scrittura da detto Archivio, dovrà quello che la riceve, farne nota di propria mano, e lasciarla dentro il medesimo per lacerarla quando si riporta detta Scrittura.

CAPITOLO XXI.

Delle facultà della Congregazione, e Adunanza Generale.

Che sia lecito in ogni tempo alla Congregazione, o Adunanza Generale non solo di moderare, e riformare li presenti Statuti, me ancora formarne altri di nuovo, e prendere altre prudenziali Provisioni, e Ordinazioni giusta le circostanze de' tempi, e successi, che potrebbero nascere, e giusta le facultà permesse dal Diritto Civile, e Municipale di questa Città di Roma.

CAPITOLO XXII.

Dell' osservanza de' presenti Statuti

Che tutti, e singoli soggetti, ed in qualsivoglia modo addetti alla medesima, de' quali sopra se ne è fatta individua menzione, tanto presenti, che futuri siano obligati all' esatta osservanza de' presenti Statuti, e di altri da farsi in ogni tempo, e siano obligati, e sottoposti alle tasse, pene, e Mano Regia imposte, e da imporsi in avvenire, e gli Officiali da eleggersi dovranno nell' atto di prendere il possesso de' loro rispettivi officii, giurare di bene, e fedelmente esercitarli, e di osservare, e fare osservare li presenti Statuti.

CAPITOLO XXIII.

Che le Congregazioni, e Adunanze non possano adunarsi senza la licenza degli Illustrissimi, ed Excellentissimi Signori Conservatori, e senza l' intervento di uno dei Fedeli a tenore delli Statuti di Roma Libro terzo Capitolo 44 e non altrimenti ec.

*Nos Comes etc. Nicolaus Bielk
Almæ Urbis, ejusque Districtus
Senator.*

Præinserta statuta nuper efformata, atque confecta per Fornaciaros, et

Approbatio
Statutorum
pro parte Excellentissimi
Senatoris Urbis.

Fabricatores Calicum Vitreorum, et Crystallorum ordinariorum in præsentì volumine Foliorum XI. = distinctim, ac separatim divisa, a Nobis visa, diligenter examinata, ac mature perpensa, dummodo tamen sint licita, et honesta, monopoliæque non contineant, nec contra Urbis Statuta sint, et faciant, nec in detrimentum Reipublicæ tendant, approbamus, et confirmamus ac omnino servari, et exequi volumus et mandamus non solum isto, verum etiam omni alio meliori modo. Datum Romæ ex Ædibus Nostris Capitolinis hac die trigesima Mensis Aprilis 1759.

A. Bielk Senator

Loco ✕ Signi

Pro D. Prot. Illmi, et Exmi D. A. V. Senatoris

Philippus Maria Monetti Sub. inf. C.

Nos Horatius Falconerius, Philippus de Vetera, et Comes Antonius Soderini Almæ Urbis Conservatores.

Retroscripta Statuta de recenti formata, et confecta per Fornaciarios, et Fabricatores Calicum Vitreorum, et Crystallorum ordinariorum in præsentì volumine contenta foliorum undecim, distinctim, et separatim divisa in Capitulis viginti tribus a Nobis visa, diligenter examinata, ac mature circumspecta, et accurate perpensa, tamquam justa, ac rationabilia vigore facultatum Nobis concessarum a statuto Almæ Urbis, approbamus, et confirmamus, dummodo tamen sint licita, ac honesta, nec tendant in damnum Reipublicæ, monopoliæque non contineant, neque contra eadem statuta faciant, et ita servari, ac exequi volumus, et mandamus non solum etc. sed omni etc. Datum Romæ in Palatio Nostræ solitæ Residentiæ Capitolinæ hac die 2 Maii 1759.

Nos Horatius Falconerius Cons.

Philippus De Vetera Cons.

Antonius Soderini Cons.

Loco ✕ Signi

Cesar Diamilla Illmorum, et Exmorum DD. Almæ Urbis Conservatorum Notarius.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes Statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrociniò communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus gratiam face-

Bull. Rom. Tom. I.

re volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati præinserta Statuta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

§. 4. Decernentes, easdem præsentès Literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab iis respective inviolabiliter observari sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Urbis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Maii Millesimo Septingentesimo quinquagesimo Nono Pontificatus Nostri Anno primo.

Clausula subblata, et decretum irritans.

Derogatur contrariis.

Approbatio eorundem pro parte Illustrii Urbis Conservatorum.

Supra relata Statuta, Apostolica sanctione approbantur, et confirmantur.

LXXII.

Dat. die 6.
Maii 1759.
Ann. I.

Confirmatio veteris Statuti Civitatis Cæsena-
sensæ in ea parte, qua præscriptum
reperitur: salarium, seu merces No-
tariorum pro Instrumentorum et Te-
stamentorum confectione, eorumque
copiis.

*Paulus II. Constit. edit. An. 1465. 12
Kal. Febr. plura privilegia Cæsena-
tensis Civitatis confirmavit, Comuni-
tati redditus, et Comitatum donavit,
et Censum Annuum Cæmeræ Aposto-
licæ persolvendum constituit. De Em-
phytheuticis bonis in Territorio Cæse-
nae agit. Const. Innocentii VIII. edit.
1489. Febr. 20. Statuta Civitatis Cæ-
senæ, et privilegia quamplurima con-
firmavit, nonnulla de novo concessit.
Paulus III. constit. edit. 1535, De-
cemb. 30. Quo ad regulas servandas
in Causis primæ, et ulterioris instan-
tiæ nec non quoad taxam Notario-
rum Civilium, et Criminalium agit.
Constitutio altera ejusdem Pontificis
anni 1548. Martii 9. De investituris
Emphytheuticis habetur Const. Pii IV,
edit. anno 1563. Augusti 1. nec non
de ipsius Emphytheuticis bonis Constit.
altera Gregorii XII. Anni 1575. Maii
3. quæ omnes in Bullario Mainardi
non reperiuntur insertæ.*

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei memoriam.

Petitio pro
confirmatione
veteris Statuti
quoad taxas
Notariorum
pro Instru-
mentis, et te-
stamentis.

§. 1. Sincerae fidei, et devotio-
nis affectus, quem dilecti filii Consiliarii, ac Communitas, et homines Ci-
vitatibus Nostræ Cæsenaenæ erga Nos, et
hanc Sanctam Sedem gerere compro-
bantur, Nos inducit, ut eos specia-
lis favore gratiæ prosequamur. Exponi
siquidem nobis nuper fecerunt dicti
Consiliarii, quod inter Rubricas Statu-
ti Civitatis prædictæ, duæ reperiuntur
ad instrumenta, ac mercedem, seu
summam, publicis dictæ Civitatis Nota-
riis, pro ejusmodi Instrumentorum ro-
gatu, contractu, subscriptione, et exem-
plo vulgo exemplatione debitam spe-
ctantia, prout constat ex libro impreso
statutorum Cæsenaenæ pag. 51. de In-
strumentis per Notarios complendis, et
in eorum protocollis extendendis, et
per partes reluendis tenoris sequentis.
„ Ut utilitatibus tam Notariorum Civi-
tatis Cæsenaenæ, ejusque Comitatus,
vel Districtus, ad quos recursus ha-

betur pro Instrumentis, et aliis scri-
pturis per ipsos conscribendis, quam
etiam singularium personarum eju-
dem Civitatis, Comitatus, vel di-
strictus provideatur, salubriter, et
ut dissidiis, negligentis, ex parte
dictorum Notariorum quam pluries
evenientibus, eo quod cessant instru-
menta, et scripturas per eos rogata
autenticare, et personis, ad quas
spectant tradere longevas inducias ex-
quirendo, et per hoc jacturas et dam-
na enormia, et non modica eos
interdum incurrere contingit, simi-
liter provideatur. Statuimus, et præ-
senti edicto sancimus, quod omnes,
et singuli Notarii Civitatis, Comitatus,
et Districtus Cæsenaenæ teneantur, et
debeant sub virtute præstiti jura-
menti, et pœnis aliis arbitrio Domini
Vicarii, seu Potestatis, et ejus Ju-
dicum auferendis, scribere, et scri-
bant diligenter, et ordinate in eo-
rum protocollis, seu libris omnia,
de quibus fuerint rogati. Et quando
requirantur, ab aliis, ad quos spe-
ctant dare, et cum effectu tradere
sub pœnis prædictis teneantur, et
debeant, omnia, de quibus rogati
extiterint, infra quintam diem a die
requisitionis computandos, nisi ju-
sta, et rationabili causa eorum Sacra-
mento probanda excusari meruerint;
quo casu in pœnam statuti incidisse
minime intelligantur. Et hoc pro
salaris convento vel alias in statutis
Communis, et Populi contento loquen-
tibus, super solutione Notariorum di-
ctæ Civitatis, et Comitatus, et scri-
pturarum earundem: Et simili mo-
do statuimus, quod pars, seu partes
sive persona recipere debens, vel ha-
bere aliqua Instrumenta, vel scri-
pturas ab aliquo Notario, teneatur,
seu teneantur, ipsas scripturas vel in-
strumenta, quas, vel quæ petiit, seu
petierint publicari, recipere, et
etiam petere, et reluere a Notario,
et solvere eidem salarium conven-
tum, vel alias debitum, et taxatum
per formam dictorum statutorum,
infra terminum supradictum, quin-
que dierum ad omnem requisitio-
nem Notarii scribentis, eadem sub
pœna arbitrio dicti Domini Vicarii,
seu Potestatis, vel ejus Judicis au-
ferenda. Et teneantur, et debeant No-
tarii, quoties ipsos Notarios, contra-
ctus, seu ultimas voluntates in pub-
licam formam redigere contigerit,
illas, seu illos extense, et intelli-
biliter sine aliqua abbreviatura, nul-

„ Io verbo interposito, quod supple-
 „ tione vel interpretatione egeat, de
 „ verbo ad verbum, nullo addito, vel
 „ diminuto, quoad actus substantiam,
 „ seu naturam mutare habeat, prout
 „ et sicut actum fuerit inter partes tem-
 „ pore actus, de quo rogatus extiterit
 „ celebrari, sub pœna superius expres-
 „ sa, ponere, scribere, seu notare. Et
 „ in prædictis fiat ratio, seu jus, tam
 „ Notario, quam partibus summarie, de
 „ plano, absque libello, vel alia juris
 „ solemnitate, etiam tempore feriato,
 „ et hoc sit præcisum. Addimus, quod
 „ Notarius, qui fuerit de aliquibus scri-
 „ pturis, vel Instrumentis rogatus pos-
 „ sit compellere partes ad illas in pu-
 „ blicam formam accipiendas, et eidem
 „ de mercede competenti solvenda,
 „ non obstante dicto statuto = Reliqua
 „ vero ad salarium, seu mercedem pro
 „ Instrumentorum confectione ex eodem
 „ libro statutorum pag. 101 tenoris se-
 „ quentis, videlicet „ Excessivas, et inju-
 „ stas Notariarum exactiones pro In-
 „ strumentorum, Testamentorum, seu
 „ aliarum quarumcumque dispositio-
 „ num confectione refrenantes, et par-
 „ tim Constitutioni Magalottæ inehæ-
 „ rentes, disponimus, et ordinamus,
 „ Notarios de Testamentis, Codicillis
 „ Donationibus causa mortis, aut cu-
 „ juslibet alterius ultimæ voluntatis,
 „ et etiam Donationibus inter vivos ro-
 „ gatos, pro ejusdem Testamenti, Co-
 „ dicillorum, Donationis causa mortis,
 „ seu alterius ultimæ voluntatis, et Do-
 „ nationis inter vivos publicatione, au-
 „ tenticatione, seu in publicam, et
 „ autenticam formam reductione, si
 „ res donata, seu hæreditas ascende-
 „ rit ad valorem librarum quinquaginta,
 „ posse, et debere consequi denarios
 „ decem pro qualibet libra; ab
 „ inde usque ad centum, denarios octo;
 „ ab inde vero usque ad ducentum,
 „ denarios sex; ab inde supra usque ad
 „ quamcumque summam, pro qualibet
 „ libra denarios quatuor, dummodo sa-
 „ larium, seu merces prædicta, quan-
 „ titatem decem scutorum non exce-
 „ dat, quod tamen locum habere vo-
 „ lumus, ubi essemus in suis hære-
 „ dibus, vel his, quibus hæreditas de
 „ qua agitur ab intestato deffertur, vel
 „ etiam in consanguineis, et affinibus
 „ testantis, codicillantis, aut alio quo-
 „ libet modo disponentis; ut supra us-
 „ que ad quartum gradum: in extra-
 „ neis vero, et aliis personis, quibus
 „ hæreditas ab intestato non defferretur,
 „ seu in consanguineis, et affi-

„ nibus ultra quartum gradum, No-
 „ tarii de Testamentis, et aliis dispo-
 „ sitionibus supradictis, pro eorum
 „ mercede, ut supra consequi possint,
 „ et debeant summam, ut supra taxa-
 „ tam, et tertiam partem plus, ultra
 „ quam summam Notarius, nec sub
 „ prætextu peritiæ, nec cujuscumque
 „ laboris, nec alia quavis ratione, vel
 „ causa aliquid prætereundum possit, sed
 „ huic sanctioni Nostræ omnino ac-
 „ quiescere debeat.

„ In publicatione autem, sive au-
 „ tenticatione aliorum Instrumento-
 „ rum, servari volumus, et manda-
 „ mus distinctionem statuti sub Ru-
 „ brica de solutione Notariorum, du-
 „ modo tamen merces Notarii, de quo-
 „ cumque Instrumento rogati, quanti-
 „ tatem sex scutorum non excedat, eo-
 „ dem statuto, quoad mercedis quan-
 „ titatem penitus abrogato.

„ Similiter quoad omnia idem sta-
 „ tutum observari volumus in Instru-
 „ mentis tutelæ, curæ, actorum pu-
 „ pillorum, minorum, furiosorum, et
 „ aliarum similium personarum, tam
 „ ubi inventarium conficiendum erit,
 „ quam ubi non erit conficiendum ju-
 „ xta ejusdem statuti distinctionem, et
 „ formam, quibus etiam casibus, in-
 „ ventariis conficiendis addatur Instru-
 „ mentum aditionis hæreditatis cum
 „ beneficio inventarii, cujus merces
 „ per similes ejusdem statuti casus re-
 „ galeatur; Et ut quoad hoc omnis
 „ verborum ejusdem statuti ambigui-
 „ tas removeatur, florenum, de quo
 „ in hoc proposito statutum loquitur,
 „ intelligi volumus juliorum quinque,
 „ abrogata quacumque alia interpreta-
 „ tione hactenus observata.

„ Declarantes insuper taxationes,
 „ limitationes, et moderaciones præ-
 „ dictas in relevandis, seu publican-
 „ dis Instrumentis, Testamentis, et aliis
 „ quibuscumque dispositionibus intel-
 „ ligi, et inviolabiliter observari de-
 „ bere, non solum in rogandis, et pu-
 „ blicandis in futurum, sed etiam in
 „ antea rogatis, et confectis. Nam et
 „ pro illorum autenticacione, quæ su-
 „ pradicta sunt, observari mandamus.

„ Intelligantur tamen prædicta pro
 „ primis extractionibus, seu publica-
 „ tionibus Instrumentorum, Testamento-
 „ rum, et aliarum dispositionum, pro
 „ quibus merces supra taxata integre
 „ debeat, si vero ultra primam ex-
 „ tractionem, aliæ postea extractiones
 „ ad cujusvis personæ instantiam per
 „ Notarium fieri contingat, tunc pro

Tenor se-
 cunda rubri-
 cæ veteris sta-
 tuti.

„ secunda, vel ulteriori extractione, eam
 „ habeat mercedem, quam statuimus
 „ pro simplici copia in authenticam
 „ formam redacta.

„ Notarius non prohibeatur, par-
 „ tem in Instrumento, Testamento, aut
 „ alia quavis dispositione interesse ha-
 „ bentem, jure medio compellere ad re-
 „ levandum Instrumentum, juxta di-
 „ spositionem statuti sub Rubrica *de*
 „ *Instrumentis per Notarium complen-*
 „ *dis etc.* dummodo tamen taxationes
 „ prædictæ serventur; et Instrumentum
 „ ea contineat, quæ a statuto prædicto re-
 „ quiruntur; et ulterius etiam dummodo
 „ Instrumentum, vel Testamentum non
 „ sit cassatum, vel alias non sit tale,
 „ ex quo pars nullum sentiat de præ-
 „ senti commodum, aut emolumentum,
 „ quibus casibus pars, instrumen-
 „ tum, aut aliam dispositionem rele-
 „ vare, et Notario mercedem solvere
 „ non teneatur, nisi quatenus de ejus-
 „ dem processerit voluntate.

„ Et quia quandoque evenit, ut
 „ quis Instrumentum, Testamentum,
 „ vel aliam dispositionem videre, se-
 „ que de juribus suis informare cupiat,
 „ Notarius autem ostendere, eique
 „ copiam facere recuset, nisi *releves*,
 „ et revelationis merces sibi persolvatur;
 „ volumus, ac decernimus, ut ad
 „ petitionem cujusque, Notarius, Instru-
 „ mentum, Testamentum, aut aliam
 „ dispositionem per eum rogatam, ei-
 „ dem ostendere, sibi que etiam peten-
 „ ti copiam facere teneatur, quæ tam-
 „ en copia sit simplex sine subscrip-
 „ tione, et signo, substantiam tamen
 „ dispositionis perfecte continens; et pro
 „ ejusdem Copiæ mercede, si Testa-
 „ mentum fuerit, habeat Notarius ju-
 „ lios tres; si vero Instrumentum cum
 „ pactis utilibus, vel cum Decreto, ju-
 „ lios duos; sine pactis utilibus, vel
 „ sine Decreto Judicis habeat unum ju-
 „ lium tantum. =

Non obstan-
 te secunda sta-
 tuti Rubrica
 consuere
 Notarii Caese-
 natenses volen-
 tibus tantum
 Testamento-
 rum, Codicil-
 lorum, et Do-
 nationum
 sumpta au-
 thentica tra-
 dere.

§. 2. Et licet secundo dicta rubri-
 ca statutaria semper habita, et obser-
 vata sit, hac limitatione, prout constat
 ex publica majoris partis Notariorum
 Civitatis prædictæ attestazione per quam
 ipsi declarant, se tantummodo pro tes-
 tamentis, codicillis, et donationibus,
 ex quibus partes commodum emolu-
 mentumque sentinut, et percipiunt cogere,
 et compellere hæredes, legatarios,
 et donatarios ad recipienda sumta
 authentica testamentorum, codicillo-
 rum, et donationum, postquam tamen
 sortita fuerunt effectum, sed nunquam
 cogisse, neque compellere intendunt

agentes instrumenta contractuum, alia-
 rumque rerum ad suscipienda exem-
 plaria instrumentorum peractorum, ni-
 si ab illis exquiri possint, et sic se se
 semper exhibuisse, et exhiberi parati
 sunt, et alias prout in eorum attesta-
 tione uberius dicitur contineri, nihilo-
 minus præmissis non obstantibus, dile-
 ctus itidem filius Paulus Antonius Boni
 publicus ejusmodi Civitatis Notarius con-
 tenderet, agentes contractus suscipere
 debere haud restricte sumta authenti-
 ca quorumcumque Instrumentorum ad
 quamcumque materiam spectantium per
 eum gestorum, subscriptorumque, ea-
 que de causa, ipsi exponentes consen-
 taneum esse existimarunt sese etiam ju-
 dicialiter hanc injustam contentionem
 adversari, ut Civitas ipsa ab hujusmo-
 di maximis incommodis indemnis re-
 maneret etiam quoad alios Notarios,
 qui ex dicti Pauli Antonii exemplo mo-
 ti id ipsum mente concipere, et exe-
 qui possent; ex hujusmodi capta reso-
 lutione dictus Paulus Antonius perter-
 ritus, et melius secum reputans limi-
 tatum facultatem per rubricam præ-
 scriptam, quam ipsius Civitatis Nota-
 rii habent, qui quempiam postquam
 aliquod instrumentum confecit ad sus-
 cipiendum illius exemplar in publi-
 cam formam redactum obligare ne-
 queunt, esse exequendam, a sua sen-
 tentia recessit, et tam suo, quam di-
 lectorum quoque filiorum Petri Anto-
 nii, et Gregorii Casimiri Boni nato-
 rum suorum, Civitatis prædictæ Conno-
 tatorum nomine in forma juris vali-
 da se se obstrinxit se ullo unquam tem-
 pore similes contentiones promovere.

§. 3. Cum autem sicut eadem ex-
 positio subjungebat dicti exponentes abu-
 sus quoscumque, qui tractu temporis
 in præmissis irripere possunt, juxta re-
 solutionem in generali dictæ Civitatis
 die x. Decembris MDCCLVII. habito
 consilio, de medio auferre secundodi-
 cta rubrica statutaria per Nos confir-
 mari plurimum desiderent. Nobis pro-
 pterea humiliter supplicari fecerunt,
 ut sibi in præmissis opportune provi-
 dere, et ut infra indulgere de benigni-
 tate Apostolica dignaremur. Nos igitur
 ipsos Exponentes specialibus gratiis, et
 favoribus prosequi volentes, et eorum
 singulares personas a quibusvis excom-
 municationis, et interdicti, aliisque Ec-
 clesiasticis censuris, sententiis, et poe-
 nis quovis modo, et quacumque de
 causa latis, si quas forte incurrerunt,
 hujus tantum rei gratia absolventes, et
 absolutam fore censentes, hujusmodi

Ad præci-
 dendas quas-
 cumque con-
 trarias præten-
 siones, Consi-
 lium Caesens
 e medio tolle-
 re secundam
 duxit Rubri-
 cam statuti su-
 per coactiva
 traditione Au-
 thenticorum
 sumptuum.

supplicationibus inclinati, præinsertam de salario, seu mercede Notariorum rubricam statutariam, ac omnia, et singula in ea contenta, et expressa auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplementis, et sanamus, et quatenus opus sit auctoritate et tenore præsentis perpetuo statuimus, et declaramus, ne ullo unquam tempore, Notarii Civitatis Cæsænatensis. hujusmodi, partes quascumque tam de confectis, quam in posterum conficiendis instrumentis super quibuscumque contractibus (exceptis tamen de Testamentis, Codicillis, et Donationibus) ad recipienda sumpta authentica dictorum Instrumentorum, nisi sponte requisiti fuerint, compellere possint.

§. 4. Decernentes ipsas præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judiciari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Civitatis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis; et Literis Apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub

Annulo Piscatoris die Sexta Maii Millesimo Septingentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri Anno primo.

LXXIII.

Interdicitur, et prohibetur ne in Ecclesiastica Ditione, post obitum Romani Pontificis, extraordinarii Magistratus, aut militum Duces eligantur, neque milites conscribi possint; idque ad Civitatem Velitranam extenditur, decedente Cardinali Decano.

De militibus in Urbe adscribendis, deque confirmatione Magistratum, et Officialium universæ Ditionis Pontificiæ, Sede Vacante, agit Const. Clem. XII. edit. 1732. Octob. 5., illiusque Chirographum diei 24. Decembr. ejusdem Anni.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

Inter multiplices Officii Nostri curas, quibus non solum ad universæ Ecclesiæ regimen, sed simul etiam ad recte moderandam temporalem Ecclesiæ Romanæ ditionem pro viribus intendere tenemur, eam necessario suscipiendam atque præcipuo studio adhibendam censemur, ut subditorum populorum perpetuæ quieti et tranquillitati consulamus, sublatis abusibus, qui eam perturbare facile possent; nec non statutis, privilegiis, aliisque quibuslibet indultis, quæ licet alias, quum primum confecta, sive concessa, aut confirmata fuerint, publicæ utilitatis, rectique ordinis conservationi profutura forte viderentur, attamen inmutata postmodum rerum, et temporum conditione, ad excitandas potius, fovendasque perturbaciones idonea detecta sunt; reformatis, moderatis, seu respective cassatis et abrogatis, prout cum præsentis Reipublicæ statu, et recte constituti gubernii forma magis congruere, et ad veram, solidamque populorum felicitatem, experientia ipsa docente; salubriter expedire judicamus.

§. 1. Sane cum primum, superiore anno, vacante per obitum San. Mem. Decessoris Nostri Benedicti Papæ XIV. Apostolica Sede, in Urbem pervenimus, multa narrari audivimus de turbis, atque tumultibus, quæ in nonnullis Civitatibus, et Terris Ecclesiasticæ Ditionis acciderant; dum earum Cives, et In-

Apostolica Auctoritate Statuti sanctiones supra-relata confirmantur, et declarantur, exceptis Testamentis, Codicillis, et donationibus, neminem a Notariis esse compellendum ad authentica sumpta recipienda invitum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Contrarium derogatio

Dat. die 25. Jun. 1759. Ann. 1.

Exordium

Enunciantur turbæ, et tumulti, postrema Sede vacante, suscitati in Ecclesiastica ditione.

colæ arma temere cœperant, sub specie eas custodiendi, continendique in obsequio erga ipsam Apostolicam Sedem, atque efficiendi, ut justitiæ administratio recte, ut par erat, exerceretur: Mox autem Conclave ingressi, quam jampridem Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ad consultandum super negotiis Status Ecclesiastici deputatorum adscripti essemus, ideoque specialibus Congregationibus interfuerimus, quæ eas ob causas ibidem sæpe habitæ sunt; de prædictis perturbationibus, et consequentibus inde gravissimis incommodis certius, distinctiusque cognovimus. Itaque postquam inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio ad Summi Pontificatus apicem, quamvis immerentes, eventi, Ecclesiastici Principatus habenas suscepimus, nihil habuimus antiquius, quam ut accuratam Nobis rationem reddi juberemus de his, quæ in singulis locis, in quibus post obitum laudati Prædecessoris Nostri aliquid novatum fuerat, patrata, aut attentata fuisse dicebantur.

Commissariis prius ablegatis pro opportunitate inquisitionibus, veniam deinde delinquentibus Apostolica benignitate concedit.

§. 2. Cum autem, non sine maximo animi Nostri dolore, acceperimus, perturbationes et scandala multo graviora, quam vulgo creditum fuerat, extitisse, eademque etiam aliqua ex parte nondum extincta esse, haud opportunum duximus præterita omnia oblivioni tradere, ac generalis veniæ indultum evulgare, quemadmodum pro ingenitæ Nobis clementiæ instinctu, et pro paterno Nostro erga subjectas Gentes amore, optatissimum Nobis fuisset sed justitiæ rigorem misericordiæ studio temperantes, id consilii cœpimus, ut ad unum, et alterum Ditionis tractum, ubi majores, et magis perniciosi motus extiterant, duos ab Urbe Præsules Commissarios ablegarem, qui opportunas inquisitiones, sive processus instruerent, atque conficerent, cæterorum vero erratis, quamvis non levibus, dissimulando clementer ignosceremus. Hanc autem agendi lenitatem, et moderationem tunc cumulavimus, quam absolutis per Commissarios injunctis sibi muneribus, atque processibus per eos confectis, in Congregatione particulari per Nos ad id specialiter deputata libratis, atque discussis, quamvis hæc in eam sententiam convenerit, ut seviribus pœnis plecterentur, ac respective damnarentur plerique reorum, qui vel carceribus inclusi detinebantur, vel delictorum suorum conscientia in fugam acti, contumaces erant, Nos nihilominus,

eos omnes promeritarum pœnarum interminatione ad saniores mentes reduxisse, pacatisque Provinciis, quietem restituisse, contenti, illos quidem e carceribus liberos dimitti, hos autem ulterius non molestari mandavimus. Cæterum in eam curam studia nostra convertimus, quam providi et paterni animi Principem magis decere existimavimus, ut opportuna potius pararem remedia, quibus futura mala præcaverentur, quam ad præterita crimina vindicanda publicæ animadversionis aciem intenderemus.

§. 3. Itaque præ oculis habito diverso rerum statu, et longe mutata temporum conditione, ob quam, licet alias utile forsitan, vel saltem ferendum videri potuerit, ut vacante per obitum Romani Pontificis Apostolica Sede, Ecclesiasticæ Ditionis Subditi suarum respective Civitatum quoddam veluti gubernium assumerent, eademque pacatas, in ipsius Apostolicæ Sedis fide servandi curam in se susciperent; nunc tamen hujusmodi agendi ratio nec ullo modo necessaria dignoscitur, et in publicæ potius quietis atque securitatis detrimentum vergere depræhenditur: aliisque justis de causis per Nos matura deliberatione pensatis; nec non Motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicæ, et Supremæ Nostræ potestatis plenitudine, præsentium Literarum tenore, omnibus et singulis quarumcumque Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, aliorumque Locorum Ecclesiasticæ Ditionis, Nobis, dictæque Sedis Apostolicæ immediate, vel mediate subjectorum (præterquam Almæ Urbis et Bononiensis, ac Ferrariensis Civitatum, ac Legationum, quibus jam per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices opportune consultum fuit, et Nos uberius providere non omitemus, quoties ita necessitas postulare videatur) Communibus, et Hominibus, eorumque Magistratibus, Ordinibus, et Consiliis, etiam Generalibus, Populisque universis, districte, ac perpetuo prohibemus, et interdiciamus, ne postquam Nos, Deo disponente, ex hac vita migrare contigerit, et successivis temporibus quotiescumque Apostolica Sedes per obitum Romani Pontificis vacaverit, temporarios quoscumque Civitatum, aut Populi Magistratus, sive Rectores, aut Militum Duces, seu Regionum Capita, vulgo *Caporioni*, vel aliter nuncupatos Officiales eligere aut constituere, neque Milites conscribere, aut Militiam Urbanam armare, neve aliud quidquam

Veteri abrogata consuetudine; prohibetur ne Sede vacante ulla fiat immutatio circa consuetum Gubernium Ecclesiasticæ Ditionis sub perduellionis pena.

circa consuetum gubernii, statum, et ordinariam regiminis methodum innovare, aut mutare audeant seu præsumant; Declarantes, omnes et singulos, quicumque hanc nostram Constitutionem, districtamque prohibitionem sive seorsim singuli, sive conjunctim cum aliis violaverint, aut eidem facto contraire tentaverint, perduellionis, et læsæ Majestatis in primo capite reatum incurrere; proindeque ultimi supplicii et publicationis omnium honorum pœnis, ipso jure ac ipso facto obnoxios fore, et censeri; iisdemque cum effectu puniri debere; sublata cuilibet aliter judicandi, et statuendi facultate, et auctoritate.

Abrogantur quæcumque indulta, et privilegia præcedenter concessa, et præsentis sanctioni contraria.

§. 4. Utque omnia prorsus hujusmodi perturbationum, et scandalorum germina, quæ futuris aliquando temporibus iterum pullulare possent, radicitus evellantur; Nos simili motu, scientia, et potestatis plenitudine, omnia et singula dictarum Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, et Locorum Statuta, etiam juramento, confirmatione Apostolica, licet in forma specifica, vel quovis alio firmitatis genere roborata: privilegia quoque, et indulta, eisdem, eorumque Communibus, Magistratibus, Consiliis, et Hominibus, etiam per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, eorumque auctoritate, et mandato, quavis occasione, vel causa, etiam onerosa, aut alias speciali, et individua mentione digna, et singularium meritorum, aut servitorum eidem Apostolicæ Sedi præstitorum intuitu, sub quacumque forma concessa, ac pluries confirmata et innovata, nec non consuetudines, quantumvis longissimi, et immemorabilis temporis usu continuatas, quatenus earumdem præsentium sanctioni adversari dicantur, abrogamus irritamus, penitusque delemus, ac de medio tollimus per præsentem, quum maxime pleraque hujusmodi statuta, privilegia, et consuetudines, quæ ad sustinendum præfatum morem allegari solent, nequaquam subsistere reperia sint; si qua vero firmiori fundamento forsitan innixa videantur, ea aut originem duxerint a retroacti temporis necessitatibus, quæ mutato rerum statu jamdiu cessarunt, aut in abusum et corruptelam conversa, ad publicæ utilitatis conservationem revocari, et aboleri mereantur.

Urnæ, seu Bussoli de Caporioni pro regimine suscipiendo Gubernii, Sede Vacante.

§. 5. Cum itaque Nostræ intentionis sit, et absolutæ voluntatis, ut prædictarum omnium Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, et Locorum

Ecclesiasticæ Ditionis, gubernium regimen, et administratio, tam in Politicis, et Criminalibus, quam in Civilibus, et OEconomicis, Apostolica Sede vacante, nulla penitus innovatione, aut mutatione facta, apud eosdem Judicantes, Ministros, et Officiales, sit et permaneat, qui Sede plena, eidem legitime præpositi erant, et præesse debebant; idcirco per easdem præsentem statuimus, præcipimus, et mandamus ut ubicumque mos erat, etiam ex statuto, privilegio, aut consuetudine, ut singulis annis, vel alio recurrente termino, conficerentur, aut renovarentur Urnæ quædam Rectorum, aut Ducum Populi, aut Militum, vulgo *Bussoli de Caporioni*, seu alio nomine nuncupatæ, in eum scilicet finem, ut eveniente Romani Pontificis morte, statim sortitio fieri posset eorum Civium, qui ejusmodi munera assumerent, aut alia quacumque ratione, in jurisdictionis et gubernii exercitio, et in publicarum rerum administratione se ingererent, ejusmodi Urnæ, seu *Bussoli*, ex nunc imposterum amplius non conficiantur, aut renoventur: quæ vero jam confectæ sint, quam primum confringantur, deleantur, et omnino aboleantur.

§. 6. Præterea, ut præsens Nostra Constitutio perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servetur, nec ulla unquam oblivione aut negligentia, quidquam de ipsius effectu, aut vigore depereat, volumus, et præcipimus, ipsarum præsentium Literarum authentica exempla, una cum earumdem italica versione, non solum in singulis dictarum Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, et Locorum Apostolicæ Sedi immediate vel mediate subjectorum, Officiis, seu Cancellariis Criminalibus, et Prioralibus affixa proponi, et perpetuo retineri, sed etiam Codicibus, seu libris Statutorum inseri, et alligari, ita ut eorum partem constituent, et constituere censeantur; ac insuper in primo cujusque anni Concilio publice legi, earumque observantiam, et executionem ab omnibus et singulis Consiliariis, quum primum electi fuerint, antequam ad officii munera exercenda admittantur, nec non a novis quibusque Magistratibus Gafaloniorum, Priorum, Antianorum, Sapientum, Massariorum seu alio quocumque nomine nuncupatorum, in ipso actu capiendæ possessionis proprii cujusque Magistratus, et Officii, in manibus Gubernatorum, seu Locumtenentium, aut Potestatum, aliorumque Superiorum ibidem ad tempo-

te aboleantur, et proscribuntur.

Publica affixio, et annualis lectura hujus Constitutionis in primo Generali Concilio cuiuscumque loci demandantur.

rale gubernium, et regimen a Sede Apostolica constitutorum, jurejurando interposito, sponderi et promitti, sub pœna nullitatis omnium, et quorumcumque actuum, quos ii peragerent, qui se non præstito prius hujusmodi juramento, in prædictorum officiorum exercitio immiserent, nec non immediate remotionis ab eisdem, ac perpetuæ inhabilitationis ad eadem officia deinceps assequenda.

Pro Civitate Velitrarum eveniente obitu Eminentissimi Episcopi, extenditur presentis Constitutionis sanctio.

§. 7. Quoniam vero abusus ejusmodi, qui in cæteris Ecclesiasticæ Ditionis Civitatibus, et Locis, obeunte Romano Pontifice, acciderunt, aut accidere poterant, iidem plane in Civitate nostra Velitrarum, eveniente obitu S.R.E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, et Veliternensis, qui temporale quoque ejusdem Civitatis gubernium et regimen obtinet, et alias accidisse, et futuris quandoque temporibus evenire posse noscuntur; idcirco Nos pari motu, scientia, et potestatis plenitudine, quæcumque superius pro cæteris Ecclesiasticæ Ditionis Civitatibus, et Locis præscripsimus, prohibuimus, statuimus, et mandavimus, eadem omnia et singula, pro dicta quoque Civitate Velitrarum præscripta, prohibita, statuta, et mandata esse, et censeri decernimus, ac earundem præsentium tenore ad eandem Civitatem, ejusque statuta, ac privilegia quæcumque, nec non consuetudines, et ad ipsius Magistratum, Consilium, et Homines expressè extendimus, sub iisdem pœnis, legibus et sanctionibus, quibus præmissa interdiximus, abrogavimus, et respective jussimus, atque præcipimus. Et quia facultates Ministrorum, et Officialium a Cardinali Episcopo pro tempore deutorum, eodem decedente, expirarent, atque deficerent; ideo Nos, ex nunc, prout ex tunc, quoties et quibuscumque vicibus Ecclesiam, et Civitatem Velitrarum, per obitum Cardinalis Episcopi, consueto regimine viduatam manere contigerit, volumus, et statuimus, eosdem Gubernii temporalis Ministros, et Officiales, qui a Cardinale novissime defuncto constituti fuerant, in demandatorum sibi munere exercitio, donec Episcopatus, et regiminis temporalis possessio a Successore Episcopo Cardinale realiter capta fuerit, cum iisdem facultatibus, et jurisdictione, quibus in vim deputationis a Prædecessore habita gaudebant, ad beneplacitum Romani Pontificis, et cum debita dependentia a prædicta Congregatione Cardinalium su-

per Consultationibus Negociorum Status Ecclesiastici deutorum, permanere, dictisque jurisdictione, et facultatibus uti, eodem plane modo, quodum Cardinalis Episcopus viveret, ea exercebant, iisque respective utebantur.

§. 8. Volumus demum, has Nostras Literas, omniaque, et singula in eisdem statuta, atque præscripta, semper valida, et firma existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus in singulis respective locis, et casibus superius expressis perpetuo sortiri et obtinere, et ab iis ad quos pro tempore quodcumque spectabit, plenissime observari; sublata omnibus et quibuscumque, etiam S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, ac eorumdem Cardinalium Congregationibus aliter decernendi, et statuendi potestate, et si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac etiam communibus Provinciarum, Ducatum, Comitatum, et Regionum prædictæ Ditionis Ecclesiasticæ statutis, constitutionibus, privilegiis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque integris tenoribus, ac formis, occasionibus, et causis specifica, et individua, non autem per clausulas generales, mentio, et expressio habenda foret, ad præmissorum effectum dumtaxat, satis derogatum esse, et fore decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Præsentium autem Literarum transumptis etiam impressis, manu Dilecti Filii Secretarii præfatæ Congregationis super Consultationibus Negociorum Status Ecclesiastici, vel etiam alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem ubique, in Judicio, et extra adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostesæ.

§. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum prohibitionis, declarationis, abrogationis, derogationis, statutorum, præceptorum mandatorum, decretorum, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis Anno Incarnationis

Decretum irritans

Contrariis derogat

Transumptorum fides.

Sanctio pœnalis

Dominicæ millesimo Septingentesimo Quinquagesimo nono, Septimo Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Primo = C. Card. Pro-Datarius = D. Card. Passioneus = Visa de Curia J. C. Bosschi = Loco ✕ Plumbi = L. Eugenius.

LXXIV.

Dat. die 7.
Jul. 1759.
Ann. II.

Archiepiscopo Farsaliæ, Generali in Regnis Hispaniarum Inquisitori gratulatur, quod in proscriptos a Sancta Sede libros sub titulis *Histoire du Peuple de Dieu, et de l'Esprit* sua auctoritate animadverterit, nec non contra scripta Societati Jesu calumniosa:

Pontificia Decreta, quæ proscribuntur libri de quibus in præsentis Epistola sermo est, habes supra sub Num. XXIII. et XXXIV.

Clemens PP. XIII.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam Benedictionem

Sacram in Hispanicis Regnis Inquisitionem comendatur pro impenso studio ad sacram teutam Catholicam Religionem servandam.

§. 1. **P**ræclaram, quæ jam antea Nobis inerat opinionem, persuasionemque de eximia studii zelique contentione, qua ab isto sacræ Inquisitionis Tribunali, et a te præsertim Venerabilis Frater (quem magna cum Nominis Tui laude eidem præse lætamur) assidue advigilatur, tum ad Sartam tectamque servandam in istis Catholicis Regnis Sacrosanctæ Religionis puritatem, tum ad arcenda propulsandaque ea omnia, quæ ipsi detrimentum afferre possunt, ac potissimum ad præcavendos Christifidelium animos a corruptione pravorum librorum, qui vel erroris, vel scandali ansam præbere possunt, mirum in modum confirmarunt obtequentissimæ Fraternitatis Tuæ literæ, quas die XXII. proxime præteriti mensis Maij ad Nos datas summa cum Pontificii cordis Nostri voluptate exceperimus. Iis enim Fraternitas Tua non solum Nobis significavit quiddam a te gestum et pro publicatione, et debita omnimodaque observantia Apostolicorum decretorum contra secundam, et tertiam Populi Dei Historiæ partem, et contra librum *de l'Esprit* inscriptum ab hac Sancta Sede Apostolica editorum, tibi que a Ven. Fratre Hieronymo Archiepiscopo Laodiceæ Ordinario *Bull. Rom. Tom. I.*

Nostro et memoratæ Sedis in Hispaniis Nuntio, jussu nostro redditorum executione; verum etiam quiddam agere opportunum duxisti quoad scripta quædam Societati Jesu calumniosa, quæ ut asseris, olim proscripta, rediviva apparuerant, nec non et alia, quæ ad suscitandas controversias antiquas jam finitas ab ejusdem Societatis emulis in lucem revocata fuisse judicasti. In quo pariter obsecundare te profiteris his, quæ prædictus Nuntius Noster Fraternitati Tuæ exposuerat de animi nostri sensibus, quibus erga Societatis prædictum Institutum, non aliter, quam Prædecessores Nostri Romani Pontifices affecti sumus.

§. 2. Neque vero aut Nostra voluntate, aut aliorum impulsu adductis fuimus, ut de Fraternitate Tua, aut de Tuo Tribunali, quasi in vestro munere deficeretis, aliquo modo dubitarem, sed potius ad satisfaciendum officio nostro excitati candide aperendam declarandamque duximus veram mentem, sententiamque Nostram, de qua ob varias assertiones in regionibus tam longe a Nobis positis disseminatas, dubietas oppido non contemnenda in Populo orta erat. Quemadmodum, vero hac de re rogati fuimus a pluribus istorum Regnorum Prælatibus, et Antistitibus, quorum quidem expositionibus plurimum deferendum esse arbitramur, tum ob existimationem honoremque, quo totum Venerabilium Fratrum Catholicæ Ecclesiæ Antistitum Ordinem prosequimur, tum propter fidem, quam iidem merentur, tunc præsertim cum sibi commissarum Ecclesiarum necessitates oculis Nostri subijciant, ita necessarium omnino reputavimus laudato Hieronymo Archiepiscopo, et Nuntio Nostro committere, et mandare, ut ubi, et cum quibus opus esset, id, quod Nos ad justitiæ veritatisque tramites de propositis ab illis materiis sentiremus, et cogitaremus declararet. Cæterum exploratum habentes, quod Tu quoque, Venerabilis Frater, pari æquitate, prudentiaque judicia actusque Tuos moderando, gravissimi, quod exerces ministerii partes omnes implere non prætermittas; nihil proinde reliquum Nobis est, quam merita eapropter Apostolicarum laudum præconia Fraternitati Tuæ tribuere, eamque de singulari nostra benevolentia certam reddere. Hujus interim pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. Datum

Causam exprimit cur Apostolico in Hispaniis Nuntio eccitamenta fuerint data, ut Pontificis sensus erga Societatem Jesu aperiret.

Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die XVII. Julii MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Secundo

LXXV.

Dat. die 27.
Jul. 1759.
Ann. II.

Monasteria S. Christophori, et S. Marthæ Civitatis Brixien a subjectione Ministri Provincialis Provinciæ Brixie Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia eximit, et immediatæ curæ, atque regimini Episcopi Brixien. supponit.

Clemens PP. XIII.
Ad futuram rei Memoriam

Regimen, curam, et gubernium Monasteriorum S. Christophori, et S. Marthæ Brixien, quæ Minoribus de Observantia subjecta erant, abdicare in Pontificis manibus postulatur.

§. 1. Injuncti Nobis per abundantiam divinæ gratiæ Pastoralis officii sollicitudo postulat, ut ad ea, per quæ prospero Monasteriorum devoti fœminei sexus statui, quod nobis integrum est, opportune consulitur, ejusdem Officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Clemens a Panormo Minister Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ad sui notitiam pervenerit, et experientia comperit habere, quamplurima ex regimine, cura, gubernio, et administratione Monasteriorum Monialium Sancti Christophori, et Sanctæ Marthæ Civitatis Brixien ejusdem Ordinis Sancti Francisci sub regula Sanctæ Claræ pro tempore existenti, Ministro Provinciali Provinciæ Brixie ipsius Ordinis subjectorum, tam Ministro Provinciali, et Provinciæ Alumnis, quam Monialibus prædictis incommoda exoriri, et afferri, ac propterea proprium, et consentaneum esse ducit curam, regimen gubernium, et administrationem dictorum duorum Monasteriorum a Provinciæ, et Ministro Provinciali, et Ordine prædictis abdicare, et in manibus nostris remittere. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Postulatam Monasteriorum abdicacionem, et demissionem Pontifex admittit, et recipit.

§. 2. Nos piis ejusdem Clementis Ministri Generalis votis hac in re, nec non curæ, regimini, gubernio, et administrationi prædictis quantum cum Domino possumus providere, ac consulere, nec non, peculiari Nostri cr-

ga quæcumque Sanctimonialium Monasteria charitate, quibusvis incommodis occurrere cupientes, eumque Clementem Ministrum Generalem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, abdicacionem, demissionemque memoratorum Monasteriorum Sancti Christophori, et Sanctæ Marthæ Civitatis Brixien Ordinis Sancti Francisci sub regula Sanctæ Claræ, per memoratum Clementem Ministrum Generalem sponte, et libere factam, auctoritate Apostolica tenore præsentium admittimus, et recipimus, ipsaque Monasteria vix abdicata, et dimissa cum omnibus, et singulis illorum bonis, juribus, annexis, et connexis, ac pertinentiis universis, ab omni prorsus cura, regimine, gubernio, et administratione moderni, et pro tempore existentis Ministri Provincialis Provinciæ Brixie dicti Ordinis, ac Fratrum ab eo deputatorum, auctoritate, et tenore præfatis dismembramus, et separamus, ac dismembrata, et separata esse, et fore decernimus, atque declaramus.

§. 3. Atque omnibus, et singulis ejusdem Provinciæ, Superioribus, Fratribus, et personis quacumque auctoritate, Superioritate, et Dignitate fungentibus, et functuris in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus, ne quispiam, eorum sub quovis quæsito colore, causa, ingenio, et ratione deinceps in cura, regimine, et administratione, atque gubernio sive spiritali, sive temporalis Monasteriorum prædictorum, aut alterius eorum, illorumque Monialium, ac aliarum in eis degentium, quomodolibet se se immiscere, neque ad Monasteria prædicta, vel ad eorum crates accedere, neque per epistolia et literas sive directè, sive indirectè cum dictis Monialibus, aliisque in Monasteriis præfatis commorantibus communicare sub excommunicationis pœna latae Sententiæ, a qua nemo nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere queat, et suspensionis a Divinis ipso facto, absque alia declaratione incurrendæ, aliisque Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio imponendis pœnis, audeat, seu præsumat.

Superioribus, et Fratribus de Observantia prohibet ne in posterum ullam vel spirituales, vel temporales, Monasteriorum directionem gerere debeant, neque cum Monialibus ullo modo communicare sub excommunicationis pœna.

Monasteria
sic dimissa, et
abdicata, cu-
ræ regimini,
et gubernio
submittit Epi-
scopi Brixien-
sis, illiusque
pro tempore
successorum.

§. 4. Viçissim vero, plurimam de Venerabilis Fratris moderni Episcopi Brixien fide, prudentia, pietate, dexterritate, integritate, et Religionis zelo ex Regularis Disciplinæ observantia fiduciam habentes, quemadmodum de illius successoribus Nobis pollicemur, et in Domino confidimus, immediatæ illius curæ, regimini, gubernio, et administrationi, Monasteria præfata Sancti Christophori, et Sanctæ Marthæ Civitatis Brixien, atque illorum Moniales, aliasque personas in eis degentes cum omnibus, et singulis ad Monasteria præfata, illorumque curam, regimen, gubernium, et administrationem in spiritualibus, et temporalibus nunc et pro tempore quodocumque spectantibus, et pertinentibus, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo subijcimus, et supponimus, atque subjecta, et supposita esse, et fore volumus, decernimus, et declaramus.

Clausula
sublata, et de-
cretum irri-
tantur

§. 5. Decernentes easdem præsentem Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciæ, et Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contra-

Bull. Rom. Tom. I.

riis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Julii 1759. Pontif. Nostri anno secundo.

LXXVI.

Poloniæ Regem Illustrem hortatur, ut penes Aulam Constantinopolitanam curet cessationem vexationum illatarum a Græcis schismaticis in Civitate Hierosolymarum degentibus, Fratribus Ordinis S. Francisci Minoribus de Observantia, et capitulationum, conventionumque executionem urgeat.

Dat. die 27.
Jul. 1759.
Ann. II.

Pontificis sollicitudinem pro Catholicæ Religionis tutamine, et Principum Catholicorum auxilio implorando, demonstrant Epistolæ supra relatæ sub Num. XIX., et XX. De præsentemateria habentur sub hac ipsa data Epistolæ aliæ conscriptæ Regibus Galliarum, Portugalliæ, Sardinia, Sicilia, et Venetiarum Reipublicæ, quæ omittuntur utpote huic exemplo conformes.

Clemens Papa XIII.

Carissime in Christo Fili Noster
Salutem, et Apostolicam
Benedictionem.

§. 1. Ad coeteras Pontificii animi Nostri sollicitudines ac molestias, illa accessit longe acerbior, quam ex insana Græcorum Schismaticorum in Sancta Hierosolymorum Civitate degentium protervia, temeritateque suscepimus. Hi enim post gravissima damna ac præjudicia Dilectis filiis Fratribus Ordinis S. Francisci Minoribus de Observantia nuncupatis, sæpe illata eorumque paucis ab hinc annis progressi sunt, ut eisdem ex nonnullis Ecclesiis vi ejectos, ab ipsa quoque Cappella Ecclesiæ, in qua Sacrum Jesu Christi Sepulchrum, summæ semper ab eis invicem religione, diligentiaque cultum custoditur, non solum excluserint, positos custodibus, qui ipsos Fratres ab ingressu abigerent, verum Sacra Suppellectilia, Chimeliæ, et Theaurum surripuerint. Nec his contenti, omnem operam se daturus apud Othomanos minantur, ut a tota terra ejusdem Domini Nostri Jesu Christi vestigiis, miraculis et prætiosissimo cruore consecrata, iidem Fratres expellantur.

Persequutio-
nes a Græcis
Schismaticis
Religionis Mi-
noribus de Ob-
servantia il-
latas enume-
rat.

Poloniae Regi Religiosos viros comendat, ejusque auxilium petens Aulam Constantinopolitanam exquirat.

§. 2. In hac igitur amaritudine Nostra amarissima nullum opportunius mœrori Nostro solatium, nullum efficacius validiusque gravissimo huic malo remedium invenimus, quam ad Majestatem Tuam confugere, ad eamque non solum memoratorum Fratrum, sed universæ Catholicæ Ecclesiæ lacrymas, gemitusque deferre. Ea propter majori quâ possumus contentatione per viscerum Misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi, de cujus honore, et gloria agitur, Majestatem Tuam petimus, et obsecramus, ut qua potes auctoritate (potes autem plurima) apud Othomanam Aulam eniti velis, quo laudati Fratres in ablatarum sibi Ecclesiarum, ac præsertim in Cappellæ Sancti Sepulchri possessionem citius quo fieri poterit, denuo immittantur, atque omnia sibi erepta in integrum restituantur, nullaque in posterum ab ipsis infensissimis suis hostibus molestia, contumeliaque afficiantur, sed omnia intacta juxta capitulationes, conventionesque, occasione tractatum pacis habitas, confirmatasque omnino custodiantur.

Similes Literas cœteris Principibus Catholicis a se perscriptas significat.

§. 3. Quo circa minime dubitamus quin ubi hae nostræ preces Majestati Tuæ fient manifestæ, statim ea mandata, Tuo apud Constantinopolitanam Aulam Oratori perferenda sedulo jubeas, quæ Nobis quidem curarum levamentum, vexatis Fratribus malorum remedium, Catholicis omnibus lætitiâ, Tibi denique Carissime in Christo Filii Noster, novam apud homines gloriam, et majus apud Deum meritum afferant. Nos interea, dum alios Catholicos Principes et Reges Illustres, ad eadem interponenda salutaria officia excitamus, ad optatissimi eventus auspiciam Majestati Tuæ, totique Regali Familiæ Apostolicam. Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII Julii MDCCLIX. Pontificatus Anno Secundo.

LXXVII.

Confirmatio resolutionis Congregationis Episcoporum, et Regularium, qua statuitur Monialibus Cappuccinis Oppidi de Cologna Vicentinæ Dioecesis, licere bona quæcumque recipere, et retinere in communi ad congruam sustentationem, juxta Constitutionem Urbani IV.

Dat. die 2. Aug. 1759. Ann. II.

Constitutio Pauli IV. Anni 1263. de retinendis in comuni bonis stabilibus pro decenti Monialium sustentatione; itemque altera Pauli V. Anni 1616. qua erectum fuit Monasterium Cappuccinarum Oppidi di Cologna sub regula S. Claræ; tandem postrema Urbani VIII. Anni 1628. præcedentis confirmatoria, non reperiuntur impressæ in Bullario Mainardi.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Alias pro parte dilectarum in Christo Filiarum Abbatissæ, seu Superiorissæ, et Monialium Cappuccinarum nuncupatarum Oppidi, seu loci de Cologna Vicentinæ Dioecesis, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium exposito, quod earum Monasterium Anno MDCXVI. vigore quarundam fel. rec: Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri sub Plumbo expeditarum Literarum, quas quidem Literas rec. me. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster per alias suas Literas Anno MDCXXXVIII. confirmavit, erectum fuerat, et licet in fundatione, et erectione dicti Monasterii, et in dictis Pauli Prædecessoris prædicti Literis nulla alia cautio pro Monialium ipsius Monasterii pro tempore existentium alimento, et manutentione remansisset capta, quam oblatio sponte facta a tunc in humanis agentibus Josepho Dominico, et Laurentio Fratribus Manzoni, et Bernardino Soprana tam proprio, quam suorum hæredum nomine in perpetuum suppeditandi eidem Monasterio, et illius Monialibus totum id, quod pro tempore necessarium foret, nihilominus per communicationem omnium privilegiorum a Sede Apostolica Monasteriis Monialium sub Regula Sanctæ Claræ concessorum in dictis Literis factam, illud

Preces porrectæ pro facultate possidendi bona in comuni.

inter cœtera reperitur concessum a re. me. Urbano Papa IV. Prædecessore quoque Nostro Anno MCCLXIII, ut Moniales prædictorum Monasteriorum bona Stabilia in communi pro eorum decenti manutentione consequi, et obtinere, ac possidere possent, remedium allatum esse videretur cuiusque perturbationi quæ tractu temporis accidere poterat tam propter incapacitatem ditorum expromissorum, quam propter defectum eorum honorum, prout vere acciderat postquam memoratæ Familiæ Manzoni, et Soprana pluribus ab hinc annis defecerant, ipsæ exponentes nullam notitiam habebant, quinam essent hæredes, minusque qui illorum bona possiderent, eaque de causa miseris, et angustiis premebantur eo magis quod Monasterium prædictum erectum reperitur in loco, in quo pauci habitatores existunt, et necessarium eis præbere nequeunt, ipsæque exponentes cogebantur elemosynas sibi comparare per Sorores Conversas mendicantes per loca, et terras, quarum duæ in Civitate Venetiarum semper retinere pergebant, et interea in summa calamitate minime redactæ erant, quippe quæ earum indigentis consulebant tam ex fructibus nonnullorum censuum, et fundorum, seu capitalium, a Christifidelium pietate, et charitate relictorum, quæ ab initio foundationis, et erectionis sui Monasterii huiusmodi, et usque ab anno MDCCXXIX. pacifice possidebant, quam ex fructibus subsidiorum Dotialium per ipsas Moniales ipsi Monasterio præstitorum in actu suscipiendi habitum, quæ in Monte Pietatis dicti Oppidi, seu loci de Cologna reinvestita sunt, juxta Decretum a tunc existente Episcopo Tarvisin in actu Sacræ peragendæ Visitationis editum; et in eadem expositione subjuncto, quod sicuti ipsæ exponentes quædam parva bona stabilia in communi ab initio foundationis ipsius Monasterii possidere perrexerant, in possessione huiusmodi plurimum remanere cupiebant, non obstante quod aliquis dubitaret de facultate possidendi, attentato Cap. 6 Regulæ ejusdem Monasterii, quo id vetitum reperitur; emanatum ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet = Sacra Congregatio Em̄orum, et Rm̄orum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præposita, attentato Voto Em̄i Feropi, censuit rescribendum, prout rescripsit, ac decrevit = licere Oratrici- bus in communi, redditus, et possessio-

nes, bona immobilia, legata, census, et similia ad congruam earumdem sustentationem recipere, et habere, ac libere retinere juxta Constitutionem S. M. Urbani IV. et ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, non obstantibus quibuscumque. Romæ prima Aprilis 1757. Loco Signi C. A. Card. Cavalcchini = P. H. Guglielmi Secretarius.

§. 2: Cum autem sicut dictæ exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsæ Decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertum Decretum, ac omnia, et singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitati robor adijcimus, salva tamen in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus Literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro pro tempore spectabit plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii prædicti, et illius Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et

Decretum
S. Congregat.
Episcoporum,
et Regularium,
quo honorum
possessionem
declaratur li-
cere retinere
Monialibus
Cappuccinis,
confirmatur,
et approbatur.

Clausula sub-
blata, et de-
cretum irritans

Derogatio
contractorum.

innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Secunda Augusti Millesimo septingentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXXVIII.

[Dat. die 4.
Aug. 1759.
Ann. II.

Gratum Pontificium animum ostendit Imperatrici electæ Mariæ Theresiæ pro iis, quæ provida ratione mandaverat, ad præcidendam Græcorum Schismaticorum contra Christifideles persecutionem in Civitate Hierosolymarum, propriamque curam, et sollicitudinem exprimit, atque significat.

De hac eadem materia adest Epistola alia Poloniæ Regi perscripta, et supra relata sub Num. LXXVI. ubi cæteræ aliæ recensentur Epistolæ Catholicis Principibus missæ.

Carissimæ in Christo Filix Nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ Regiæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ Regiæ Illustri in Romanorum Imperatricem Electæ.

Clemens PP. XIII.

Carissima in Christo Filia Nostra Salutem et Apostolicam Benedictionem

Gratias Imperatrici reddidit pro Religiosa ejusdem pietate.

§. 1. **D**ilectus Filius Thomas Morauviczkus Ordinis Minorum S. Francisci Frater expresse professus, atque Commissarius, Nos tuo nomine adiens, dilucide exposuit Nobis, detrimenta, ac præjudicia quæ suis in Civitate Hierosolymitana, et alibi Fratribus degentibus, atque e Cappella Ecclesiæ in qua Sacrosanctum Jesu Christi Redemptoris Nostri Sepulchrum custoditur procul expulsis a Græcis Schismaticis ablata fuerunt; nec non opportunas providentiæ rationes cum Majestate Tua initas. Nos autem quos æque ac Prædecessores Nostros Romanos Pontifices eadem de re sollicitos, Pontificium animum Nostrum commovet exposita re-

rum series, primum quidem tollentes manus Nostras in cælum, facere non possumus, quia meritis Apostolicæ prædicationis laudibus, et gratiarum actionibus prosequamur Religiosissimam Majestatis Tuæ pietatem, et Catholicum zelum.

§. 2. Deinde vero Majestatem Tuam de Nostris una cum ipso Thoma susceptis consiliis certiore quam brevissime reddere non omittimus. Nam ad Supremas Catholici Orbis potestates, et Reges Illustres, Apostolicas Nostras in simili formâ Brevis literas dedimus, quibus exoravimus ut suam quoque auctoritatem, opemque quisque apud Constantinopolitanam Aulam conferret. Mandata etiam nostra Ordinariis nostris, et Apostolicæ hujus S. Sedis apud illos injunximus, ut Nostris precibus obsecundarent. Ipse vero Thomas Frater Commissarius cum iis. litteris Nostris iter instituit Neapolim primum, tum Lisbonam, deinde Subaudiam, inde Lutetiam, mox Poloniam, tandem Constantinopolim. Cæterum Nos, omnem Nostram fiduciam in Deum nostrum bonorum omnium largitorem, et Deum pacis collocantes, in Tua præsertim studiosissima pro Catholice Religionis, et Sacrosanctæ Ecclesiæ honore, et augmento semper præclaris rebus, et gestis comprobata charitate, et cura repominimus optatissimum eventum. Interim Majestati Tuæ cælestis præsidii auspiciem, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Augusti. MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Eidem rationes reddit de Officiis penes Catholicos Principes habitis contra Græcos Schismaticos.

LXXIX.

Confirmatio Decretorum Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia quoad jura, et privilegia Custodum Fratrum Penitentiae Tertii Ordinis in Provinciis ipsius S. Francisci, et S. Yvonis Congregationis Gallicanæ cum opportunis declarationibus.

Dat. die 9.
Augusti 1759
Ann. II.

Clemens PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. **E**cclésiæ Catholice regimini meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abun-

Exordium

dantiam præsidentes ea, quæ pro felici, prosperoque Regularium Ordinum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutorum, ac honorum operum fructus assidue proferre satagentium statu, ac gubernio provide, prudenterque constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistent, Apostolici munimis Nostri præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Præces porrectæ pro confirmatione Decretorum Ministri Generalis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii moderni Ministri Provinciales, Custos Provinciæ S. Francisci, Diffinitores, et ex Provinciales Fratrum Penitentiae Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci Provinciarum ipsius Sancti Francisci, et Sancti Yvonis Congregationis Gallicanæ, quod in dictis Provinciis variæ et permultæ ortæ sunt difficultates circa officium; et jura Custodis ad Capitulum Generale deputati; Iste nempe deputatus, qui in Constitutionibus dictæ Congregationis Discretus Provincialis nominatur, ex eo quod in Custodem eligatur, et sic vocetur in suis litteris obedientialibus, identidem præsumit omnia sibi jura competere, quæ veris Custodiarum Custodibus tribuuntur. Iis interea potitus est juribus, quibus Diffinitores Provinciales frui solent bona quidem fide, et nemine reclamante, sed immerito, quia huic deputato nihil Constitutiones præfate tribuunt, præter vocalitatem in Capitulis Generalibus, et Provincialibus. Quia vero eisdem privilegiis parum contentus majora prætendebat dictus deputatus, ad coercendos vero illius prætensiones in Capitulis Provincialibus, utriusque Provinciæ supradictæ unanimiter declaratum fuit, ejusmodi Custodem deputatum tamquam primum Diffinitorem juribus dumtaxat frui debere, et Provinciis Diffinitorum Provincialium; nec inde jurgia sedata fuerunt: sustinuit, et nunc etiam contendit (præcipue Custos deputatus dictæ Provinciæ S. Yvonis) maxima Custodum privilegia hujusmodi decretis Capitularibus perperam et injuste rescari, præsertim cum illa decreta Constitutionibus prædictis derogent, neque ab Apostolica hac Sancta Sede fuerunt confirmata, dicti vero exponentes ea de causa ad dilectum etiam filium Clementem a Panormo Ministrum Generalem totius Ordinis, ejusdem S. Francisci juxta præscriptum per Constitutiones dicti Ordinis recursum habuerunt, ut suprascripta dubia interpretaretur dum ipse Custos ad eundem Clementem Mi-

nistrum Generalem pro sua parte seorsim confugit, dubia vero exposita, sunt sequentia nempe = Primo = *An deputatus ad ferendum suffragium in Capitulo Generali totius Ordinis, et electus sub nomine Custodis in Capitulo memoratæ Provinciæ (S. Yvonis) anno 1736 celebrato, sit et haberi debeat in numero eorum qui Custodiam aliquam per se administrant; vel potius sit inter Custodes annumerandus qui eliguntur ad suffragium una cum Provincialibus in Capitulo Generali?* = Secundo = *Quænam jura Custodi taliter electo competere valeant?* = Tertio = *Utrum idem Custos actualis, omnes Diffinitores actuales etiam in Religione antiquiores præcedere, debeat, ipsisque post suam, et illorum absolutionem, aliqua Diffinitione vacante, debeat pariter in subrogatione præferri?* = Ultimo = *Num potuerint Diffinitorii Patres, præfato Custodi primi Diffinitoris jura attribuire?* et consequenter = *An sustinendum sit Decretum Provincialis Capituli 1751, quo in illius favorem cautum est, ut omnibus privilegiis tamquam primus Diffinitor gaudeat, quibus frui, et gaudere solent Diffinitores?* = Ipse vero Clemens Minister Generalis ad ipsa dubia respondit, ut sequitur, videlicet = Ad primum = *Custos electus modo, ut præfertur, tamquam deputatus ad ferendum suffragium in Capitulo Generali, haberi nullo modo potest ut Custos Custodiæ, sed Custodibus Capituli Generalis suffragatoribus accenseri dumtaxat debet* = Ad secundum = *Item Custos tam in actualitate quam in habitualitate, omnibus privilegiis gaudere debet, quæ Diffinitoribus Provinciæ sunt attributa, quantum ad suffragium, præcedentiam et subrogationem* = Ad tertium = *Præcedentia illi in actualitate debetur respectu Diffinitorum in eodem Capitulo Provinciali electorum, juxta illam, quam cum eisdem habebat priusquam in Custodem eligeretur, quod intelligendum est etiam de ipsius in subrogatione præferentia* - Ex quo = Ad Ultimum = *Non potuisse Diffinitorii Patres privilegia dicto Custodi attribuire tamquam primo Diffinitori cum in familia Ultramontana hujusmodi Custos, istius muneris ratione, primus Diffinitor non sit; hinc sustinendum non esse Provinciale Decretum 1751, ne cæteris Diffinitoribus ipsa in religione antiquioribus injuria irrogetur, illorumque jus quæsitum tollatur* =.

Dubia proposita resolutioni Patris Ministri Generalis.

Resolutiones Ministri Generalis dubiis ut supra propositis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Novum dubium resolutioni propositi-

tum et successiva Ministerii Generalis decisio.

non solum præinsertas ejusdem Clementis Ministerii Generalis resolutiones, quo firmiter subsistant et serventur exactius, renuente semper dictæ Provinciæ Sancti Yvonis Custode, verum etiam aliud dubium ipsi Clementi Ministro Generali proposito utrum *an scilicet duo in primo vel secundo Consanguinitatis gradu constituti in uno, eodemque Diffinitorio collocari possint* = ad quod sepedictus Clemens Minister Generalis respondit = *Et demum Provinciale decretum, ut nempe duo Consanguinei in primo, sive secundo gradu nequaquam simul in uno, eodemque diffinitorio collocari auctoritate nostra approbamus, et confirmamus, atque ita in virtute præsentis Decreti volumus, decernimus et declaramus, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.*

Resolutiones et decreta Ministerii Generalis confirmantur, opportunis declarationibus additis.

§. 4. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Negotiis, et Consultationibus Episcoporum et Regularium præpositorum, ad quos supplicem libellum Nobis porrectum remisimus, referente Dilecto Filio Nostro Prospero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali Sciarra Columna nuncupato, qui relationem ipsius Clementis Ministerii Generalis eisdem Cardinalibus factam attenderunt consilio, præinsertas dicti Clementis Ministerii Generalis resolutiones, et decretum ad proposita sibi pro parte eorundem Exponentium dubia, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus: ac insuper auctoritate et tenore præfatis declaramus et decernimus, quod Custodes admissi, et ad Capitulum Generale deputati, licet nullo modo possint haberi, ut Custodes Cu-

stodiæ, tamen omnibus quidem, sed solis privilegiis, quæ Diffinitoribus Provinciæ sunt attributa, tam in actualitate, quam in habitualitate gaudere debeant quantum ad suffragium, præcedentiam et subrogationem; demum omnia Capitula, aliosque actus Provinciales cum interventu, et voto prædictorum Custodum hactenus celebrata, eadem Auctoritate, et tenore præsentium, quatenus opus sit, sanamus, et revalidamus, illaque et illos valida et firma fore, et esse volumus, et declaramus.

§. 5. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciarum et Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, quel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus proplene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub Annulo Piscatoris die IX. Augusti MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogatio contrariorum.

LXXX.

Dat. die 11.
Aug. 1759.
Ann. II.

Facultatem facit Tribunali nuncupato Regiæ conscientie pro Portugalliæ, et Algarbiorum Regnis, cognoscendi causas læsæ Majestatis etiam contra Ecclesiasticas personas tam Seculares, quam Regulares.

Pluries Summi Pontifices ad petitionem Catholicorum Principum, et Republicarum facultates tribuerunt Tribunalibus Laicis procedendi contra Ecclesiasticos gravis criminis Reos, nonnullis peculiaribus regulis servatis. Sic pro Portugalliæ Regnis adsunt Const. Leonis X. Anni 1516, Pii IV. Anni 1562 Julii 18, et Anni 1563 Octobris 3; nec non Gregorii XIII. Anni 1583 Octobr. 25. Pro Republica Januensi habentur Constit. Julii III., itemque Clementis VIII. Anni 1531 Junii 16, et Pii V. Anni 1563 Oct. 6. Tandem pro Hispanicis Regnis videndæ sunt Constit. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Pii V., Quæ tamen omnes in collectione Bullarii Martini prætermittæ sunt.

Dilectis filiis Presidenti, et Deputatis Mensæ Conscientiæ Charissimi in Christo Filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algarbiorum Regis Fidelissimi.

Clemens Papa XIII.

Dilecti Filii salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Exponitur
horrendum
scelus commis-
sum in perso-
nam Fidelissi-
mi Portugalliæ
Regis.

§. 1. Exponi Nobis fecit dilectus Filius Procurator Generalis, et Procurator Fiscalis Coronæ Charissimi in Christo Filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algarbiorum Regis Fidelissimi, quod detestanda quorundam hominum perfidia, horrendum facinus contra Regiam ipsius Fidelissimi Regis personam, et vitam perpetraverit, quod licet magna ex parte vindicatum fuerit eorum supplicio, qui Laici existentes, vel Fratres Milites Ordinum Militarium hujusmodi criminis rei, per competentes respective Judices comperti, et condemnati, debitas tanti sceleris pœnas luerunt, non adhuc tamen omnino expiatum fuerit in Personis aliorum, qui Clericali, ac etiam Sacerdotali caractere insigniti, ejusdem fortasse sceleris contagione polluti censentur. Cumque sicut eadem expositio subjungebat, publica atque urgens necessitas flagitet,

Bull. Rom. Tom. I.

ut pœnarum severitate, criminis adeo immanis scandalum penitus extingatur, ne qui deinceps spe impunitatis, aut cujuscumque immunitatis præsidio fulti, tam exitialia flagitia admittere audeant; aliunde vero constet fel. record. Prædecessorem Nostrum Gregorium Papam XIII. per suas Apostolicas literas in forma Brevis datas die xxv. Octobris MDLXXXIII. tunc, et pro tempore existentibus Deputatis Consilii, seu Tribunalis Vestri, in quo Præbiteri, et Religiosi viri adjunctio, utriusque juris peritissimis Senatoribus, judicium exercent, et de Ecclesiasticis controversiis, Militarium Ordinum istius Regni, et personarum eorundem Ordinum, etiam Clericorum, et Presbyterorum, jam legitima auctoritate suffulti decernebant, licentiam, et facultatem concesserint, ut quoscumque dictorum Ordinum Fratres, tam Milites, quam Cappellanos, etiam in Sacris Ordinibus constitutos, quos in personas Regum, aut in statum Regnorum Lusitanæ ex tunc imposterum conspirasse, et ad id populum commovisse, ipsis legitime constaret, juxta Canonicas sanctiones, condignis pœnis affectos, abque alicujus censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ, seu irregularitatis notæ incursu, servata juris forma curiæ Secularis, puniendos tradere possent, et valerent, prout in dictis Gregorii prædecessoris literis, latius, et distinctius accepimus contineri; idcirco pro parte dicti Procuratoris, et Promotoris, Nobis humillime supplicatum fuit, quatenus in præmissis, opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, qui ex Officii nostri debito, justitiæ relatores esse debemus, quique prædicti Fidelissimi Regis personæ, ejusque Regnorum, et Universis Status securitati, et tranquillitati, quantum in Nobis est, consulere optamus, improbos, atque scelestos homines, qui præfati criminis, atque flagitii reatum in se admiserint, Ecclesiasticæ libertatis, et immunitatis beneficiis, et favoribus indignos censes, discretioni vestræ, ut absque alicujus censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ, seu irregularitatis, notæ incursu, quoscumque Ecclesiasticos homines tam seculares, quam cujuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, seu Militiæ etiam Hospitalis, aut Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam ut infra expresse nominandi, Regulares in Sacris, Presbyteratus Ordinibus constitutos (non autem Episcopos, sive superiores Præ-

Gregorius XIII. facultatem fecit Tribunali nuncupato Mensæ Conscientiæ procedendi contra Ecclesiasticos reos læsæ Majestatis.

Prelaudato Tribunali facultates tribuuntur procedendi contra Ecclesiasticos, quos reos criminis patrati contra Regis personam invenire contigerit.

E e

latos) quos per legitimas probationes ad Sacrorum Canonum, et juris communis præscriptum, præfati criminis in personam Charissimi in Christi Filii Nostri Josephi Portugalliæ, et Algarbiorum Regis Fidelissimi impie patrati auctores, exequentores, aut complices, fuisse, et hujus delicti juridice convictos, aut confessos esse vobis constiterit, condignis pœnis, vigore specialis facultatis, et auctoritatis, vobis ad id per presentes tributæ, servato juris Ordine damnatos (prævia degradatione per eum ad quem pertinet juxta Canonicas sanctiones decernenda ac respective quoad eos; qui majoribus Ordinibus initiati, sint realiter exequenda) curiæ Seculari puniendas tradere, libere, et licite positis, et valeatis, Apostolica, qua fungimur potestate, tenore præsentium, facultatem, et auctoritatem concedimus, tribuimus, et impertimur; utque præterea ob traditionem hujusmodi, etiam si ex illa membrorum mutilatio, vel hominum cædes subsequantur, nullæ censuræ, vel pœnæ Ecclesiasticæ, aut irregularitatis nota per quempiam vestrum incurri possint, aut debeant, eisdem auctoritate, et tenore indulgemus, et respective vobiscum dispensamus.

Derogatur cui-
cumque Eccle-
siasticæ con-
stitutioni præ-
senti indulto
contraria.

§. 3. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, et Synodalibus Consiliis editis, generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinibus, et quarumcumque Ecclesiarum, dictorumque ordinum Mendicantium, et non Mendicantium, etiam S. Antonii Viennensis, et undecim Congregationum Monasticarum, Militiarum quoque Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum Clericorum Regularium, Societatum, etiam Societatis Jesu, et Institutorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis stabilimentis, statutis, usibus, naturis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, illarumque Præsulibus, et Capitulis, Superioribus, Administratoribus, et Magnis Magistris, seu Præpositis, Canonicis etiam Regularibus, Cappellanis, Presbyteris, aliisque Professoribus quibuscumque, seu quibusvis aliis personis quomodolibet concessis confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, in præsentibus Literis specifica, et individua mentio, seu quævis alia

forma observanda, vel habenda foret, tenores hujusmodi pro expressis habentes; illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat, et ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCCLIX. Pontificatus Nostri Anno II.

Una cum supra relatis Literis in forma Brevis, Epistolas binas Clemens XIII. transmisit Portugalliæ, et Algarbiorum Regi sub eadem die, et Anno datas, quarum prima, Fidelissimum Regem hortatur ne in Ecclesiasticas personas, quas fortasse Majestatis criminis delinquentes invenire contigerit, publicarum pœnarum austeritate sevire permetteret; altera vero, prælaudatum Fidelissimum Regem e concepto proposito ejiciendi Jesuitas ab Portugalliæ, et Algarbiæ Regnis dissuadere conatur, ne videretur, nonnullorum individuorum intuitu, Universam Societatem Jesus proscribere, cujus Instituti præstantiam, atque utilitatem laudibus comendat. Harum Epistolarum mentionem habet Guerra in celebratissima ad Romanum Bullarium Epitome. Eisdem italico sermone traductas referunt Ecclesiasticæ contemporaneæ Historiæ scriptores, et præsertim Historici Bercastellii continuator Tom. 52 §. 415 ad 418 Venetæ editionis Josephi Antonelli. Quum vero ob temporum præteritorum injurias, illarum Archetypa, vel deperdita, vel scripturis aliis fortasse permixta invenire in Vaticanis Archivis datum minime fuerit, hinc prætermittere cogimur, Lectoresque poterunt ad opportunitatem easdem in citatis locis consulere.

LXXXI.

Dat. die 17.
Augusti 1759.
Ann. 11.

Confirmatio pactorum, et conventionum in Capitulo Provinciali Ordinis B. M. de Monte Carmelo inter Magistros Conventus Carmeli Majoris Civitatis Neapolitanæ, et Magistros aliosque Fratres totius Provinciæ super electione Prioris Provincialis, Socii, Diffinitorum, Custodis, aliorumque Officialium prædicti Ordinis.

Questiones nonnullæ exortæ, super observantia Constitutionum hujus Ordinis quoad Provinciam Romanam, resolutæ fuerunt a peculiari Cardinalium Congregatione; resolutiones vero, Apostolica auctoritatæ confirmatæ, a Clemente XII. Constit. edit. Anno 1735. Decembr. 9 relata in Bullario Mainardi.

Clemens Papa XIII.
Ad futuram rei memoriam

Exordium

§. 1. Suprema Apostolicæ charitatis providentiæque Nostræ erga omnes Christianifideles, atque eos potissimum, qui fluctibus seculi ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda a Nobis cura maximopere postulat, atque exigit, ut omnem Pontificæ benignitatis, auctoritatisque operam, consiliumque in hoc studiosissime collocemus, quo contentionibus, litibus, dissidiis, partiumque studiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus esse constiterit, omnia inter viros præsertim religiosos in pace fient, et omnia ad Divinum cultum adaugendum, Regularem disciplinam confirmandam, procurandamque æternam animarum salutem componantur, constabulanturque.

Præces porrectæ pro confirmatione pactorum et conventionum statutarum in Capitulo Provinciae et ali.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Prior Provincialis Provinciæ Neapolitanæ, ac Prior Conventus Majoris Civitatis Neapolitanæ, nec non omnes Diffinitores, ac Vocales tam Provinciales, quam Conventus Carmeli Majoris præfati Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, quod cum pluribus ab hinc annis quædam dissidia, et dissentiones inter Magistros dicti Conventus Carmeli Majoris ex una, et Magistros, aliosque Fratres totius Provinciæ hujusmodi ex altera partibus verterent super electione Prioris Provincialis, Socii, Diffinitorum, Custodis, aliorumque Officialium; Dilectus itidem filius Joachimus

Bull. Rom. Tom. I.

Maria Pontalti Prior Generalis ipsius Ordinis, Neapoli interessens anno proxime præterito occasione peragendi ipsius Ordinis visitationem, Capituloque Provinciali memoratæ Provinciæ tunc habendo personaliter præsidere intendens, ac dissidia, dissentionesque hujusmodi, ac partium studia penitus evellere, stabilemque inter partes præfatas, ac Fratres dictæ Provinciæ concordiam inducere, ac inire, nec non inductam perpetuo conservare desiderans in sessione secunda ejusdem Capituli Provincialis publice proponi, ac legi curavit nonnulla pacta, et conventiones a Magistris, Alumnisque ejusmodi Conventus, et Provinciæ in usu habendas, adhibendas, ac in posterum semper observandas tenoris sequentis videlicet » Ad » perpetuam in eundam, et conservan- » dam pacem Neapolitanam inter hanc » Provinciam, et Carmelum Majorem; » attentis etiam, quæ hactenus in prioribus Capitulis propositæ fuerunt, conventionibus, quæ tamen alterutra reclamante parte, inobservatæ remanserunt, » et consultis hinc inde prudentioribus » Patribus, Rñus Pater Prior Genlis Ordinis, sequentem vicissitudinis perpetuæ ordinem, universis Capituli Patribus proposuit observandum. Et quoniam in Capitulo Provinciali Anno MDCCXL celebrato, sessione septima, altera alternativa stabilita fuerat, quæ tamen jura Provinciæ læsisse dicebatur; hinc, sublatis, quæ huic parti videbantur onerosa, ex his, quæ tunc stabilita sunt, et firmata, et ex noviter superadjectis, hujusmodi concordie formula concinnata est. = Primo = Provincialis alternatim eligatur. = Primo ex Magistris Carmeli Majoris, tum ex Magistris Neapolitanæ Provinciæ, ordine, et successione perpetua = Secundo = Socius Provincialis pro Sacra Visitatione semper nominetur ex parte altera; videlicet, si Provincialis sit ex Carmelo Majori, Socius erit ex Provincia Neapolitana, et vice versa. = Tertio = Secretarius Provincialis semper sit nominandus ex Patribus Provinciæ = Quarto = Quoniam ex Carmelo Majori habentur Diffinitores perpetui omnes pro tempore Priores, et ex Priores omnes, qui sunt Magistri; ideo in Diffinitores actuales Provinciæ eligantur semper tres ex parte ipsius Provinciæ, unus vero ex parte Carmeli Majoris. Inter hos vero facta comparatione, qui plura habuerit suffragia, ipse erit Primus Diffinitor, qui pauciora, secundus, et qui ite-

Referuntur pacta, et conventiones de quarum hic confirmatione agitur.

rum pauciora, Tertius; et sic etc. =
 Quinto = Quia Priores Actuales Carmeli Majoris habent locum, et suffragia in Capitulis Generalibus, ut duo ex parte una, duo etiam ex parte altera perpetuo Capitulis Generalibus intersint; quando Provincialis erit ex Carmelo Majori, duo Socii Capituli Generalis ambo erunt de Provincia; quando vero Provincialis erit de Provincia, Socius alter erit ex Carmelo Majori = Sexto = Custos Provinciæ, et Provincialis, qui dicitur *Casu quo*, indiscriminatim pro utraque parte eligi possint; ita tamen, ut in casu Mortis, Assumptionis, et Renunciationis, Vicarius Provincialis eligatur semper ex parte, quæ Provincialatu fruebatur = Septimo = Capitulum Provinciale cum eligendus erit Provincialis ex parte Carmeli Majoris, in aliquo Conventu Provinciæ erit indispensabiliter celebrandum; quando vero eligendus erit ex parte Provinciæ, celebrabitur in Carmelo Majori. Cæterum, quando celebrabitur in Carmelo Majori, ratione magnæ familiæ ibidem degentis, et paupertatis Provinciæ, ipsamet Provincia non solvet Taxas, nisi Ducatorum centum quadraginta octo. Cum vero celebrabitur in Conventu Provinciæ, Conventus Carmeli Majoris, solvet Taxam Ducatorum quadraginta = Octavo = suffragia pro Religionis defunctis fiant vicissim; ita ut omnes Sacerdotes celebrent pro anima defuncti, sive ipse fuerit Provinciæ, sive Carmeli Majoris =.

Paeta, et conventiones supra relatæ ab omnibus Vocalibus Capituli Provincialis approbatæ, Apostolica Auctoritate confirmantur, et roborantur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes præfati, præinsertam ab omnibus Vocalibus libenter in sessione septima ipsius Capituli Provincialis habita approbatam, admissamque concordiam, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communiri summopere cupiant. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Negotiis et Con-

sultationibus Episcoporum et Regularium præpositorum, ad quos supplicem libellum Nobis porrectum remissimus, qui relationem ejusdem Joachimi Prioris Generalis eisdem Cardinalibus factam attenderunt consilio, præinsertam concordiam per ipsum Joachimum Mariam Priorem Generalem initam, et ab omnibus Vocalibus Provinciæ prædictæ in dicto Capitulo Provinciali, ut præfertur admissam, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, omnésque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint supplemus, et sanamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis; Conventus, et Provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xvii Augusti MDCCLIX Pontificatus Nostrî Anno Secundo.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

LXXXII.

Dat. die 24.
Aug. 1759.
Ann. II.

De asperrimis contra Catholicam Ecclesiam temporum conditionibus, deque Societatis Jesu persecutione agit cum Cardinali Rothario, ejusque commendat filialis, et religiosissimi Animi sensus.

Dilecto Filio Nostro Janni Baptistæ Tintali Sancti Chrysogoni Presbytero S.R.E. Cardinali Rothario

Clemens PP. XIII.

Dilecte Fili Noster salutem, et Apostolicam Benedictionem

Laetiam exprimit pro Epistolis a Cardinale acceptis.

§. 1. **P**ræcipua Pontificii Cordis nostri voluptate, atque existimatione, qua Te dilecte Fili Noster, hic commorantem accipiebamus, eadem prorsus obsequentissimas Tuas literas die prima currentis mensis Augusti ad Nos datas accepimus, atque intimos, candidosque filialis, ac religiosissimi animi Tui sensus in eis Nobis pandentem, explicantemque audivimus. Ut vero eadem ingenuitate Tibi dilecte Fili Noster, paterni animi Nostri recessus aperiamus.

Suum dolorem significat propter asperitatem temporum conditionem, sollicitudinemque Pontificiam pro totius Ecclesiae utilitate, et levamine.

§. 2. Verbis satis æquare non possumus, quot angoribus, ac sollicitudinibus obruamur propter asperrimam presentis temporis conditionem, totiusque Catholicæ Ecclesiæ mestissimam faciem. Sed qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, atque dilectissimæ sponsæ suæ nullo non tempore adfuturum, et opitulaturum esse promisit, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis Nos unice sustentat, ac confirmat, numquam fore ut Nos nimium affligi permittat. Quapropter Tibi dilecte Filii Noster persuasum esse cupimus, Nos neque privatis, neque publicis precibus, atque omnibus Apostolici Ministerii Nostri Officiis, tum communibus totius Ecclesiæ necessitatibus, tum peculiaribus dilectorum Filiorum Alumnorum Societatis Jesu angustiis, sicuti hactenus non defuisse, ita neque in posterum (quoad nobis integrum erit) fore unquam, benedicente Domino, defuturos, in eodem confidentes, ut tandem imperet ventis, et mari, quo fiat exoptata tranquillitas.

Se Præcibus Ghelini a Cardinale commendato, rationem habentur promittit.

§. 3. Ceterum de dilecto filio Thoma Maria Ghelino, utriusque Signaturæ nostræ Referendario, atque Congregationis super terrarum, oppidorum ac Civitatum status nostri Ecclesiasti-

ci consultationibus præpositæ Ponente, prout temporum, rerumque conditio patietur, rationem habebimus. Interim Omnipotentem Deum enixe obsecrantes, ut Te ad illius honorem, et gloriam tanta vigilantia excubantem, totisque viribus incumbentem, bonis omnibus in longam annorum seriem augeat, et cumulet, Tibi, dilecte Fili Noster Apostolicam Benedictionem, ex intimo corde depromptam elargimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxiv. Augusti MDCCLIX. Pontificatus nostri Anno secundo

LXXXIII.

Allocutio Summi Pontificis in Consistorio, qua Ferdinandi Catholici Hispaniarum, et Indiarum Regis mortem significat, illius virtutes, et merita enarrat, et Caroli III. illius Fratris, et Siciliæ Regis successionem in Hispanicis Regnis denunciat.

Dat. die 3.
Sept. 1759.
Ann. II.

Venerabiles Fratres

§. 1. **N**on ambigimus, Venerabiles Fratres, quin statim atque ad aures vestras pervenit acerbissimus nuntius immaturæ sane mortis Carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi dumviveret, Hispaniarum Regis Catholici tantam religiosissimis animis vestris molestiam, doloremque exceperitis, quantum gravissima hujusmodi jactura requirere et postulare videbatur. Proxima enim Sapientia vestra, nemini vestrum latere posse arbitramur, quanta in eo uo amiserimus. Amisit primum Apostolica hæc Sancta Sedes filium obsequentissimum, qui per omnem suam ætatem nihil habuit antiquius, quam eidem assidua vere filialis amoris, et summæ suæ adhæSIONIS argumenta præbere. Amisit Catholica Religio eximium cultorem, vindicem acerrimum, propagatorem præclarissimum, qui gloriosissimum Catholici cognomen, et titulum ab suis inclytis Majoribus hæreditario jure acceptum, gestis suis piissimis, magis illustratum ad posteros, Successoresque transmissit. Amiserunt florentissima Hispaniarum, Indiarumque Dominia, Regem providentissimum, et vigilantissimum, qui nihil sibi reliqui fecit, ut subditis suis numero frequentissimis, natura, indole, regionibusque diversissimis, terrenam

Suum dolorem exprimit prosequuta Catholici Regis morte

felicitem afferret, et procuraret æternam.

Defuncti Regis virtutes et hæc enarratur, et solennes exequias in Pontificio Sacello habendas indicit.

§. 2. Quæ cum ita sint, quo tandem animo noscimus, in hoc funestissimo eventu, levius erit Fraternitatibus vestris, de paternis Nostris sensibus probe consciis, intelligere, quam Nobis explicare. Verum hæc ipsa, quæ hactenus commemoravimus, sicuti amaritudini nostræ amarissimæ aliquam asperserunt suavitatem, ita dolori vestro solatium attulisse non dubitamus. Tot namque egregiæ, singularesque defuncti Regis virtutes, et ea præsertim luculentissima, quæ edidit patientiæ, fortitudinis, et omnimodæ in Divina voluntate acquiescentiæ in longissimi molestissimique morbi perpessione, et in adventantis mortis expectatione, exempla, sperare Nos jubent ut a caducæ hujus mortalisque vitæ fluctibus ereptus, per infinitam Dei misericordiam, et immensa Jesu Christi Domini Nostri merita, terrenum cum Cælesti Regno commutarit. Sed quoniam judicium hominum a Divinis, quæ sunt abyssus multa quam longissime distare plerumque solent, si quid ea propter e mundano pulvere, quo etiam religiosa corda sordescunt, aliquid pietissimæ illius Animæ luendum superest, ut quantocius abstergatur, quemadmodum hactenus, privatas preces offerre non omissimus, nec Vos omisisse pro certo habemus, ita stas hujus Sanctæ Sedis consuetudine, publice habendas mandavimus. Idcirco dum ex hoc loco, laudabilem Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum more, sequuti, de ipsius morte piissime obita, Vos certiores reddimus eorundem vestigiis insistentes, solemnes pro illius Anima in Pontificio Nostro Sacello, die 11 hujus Mensis celebrandas exequias Fraternitatibus vestris indicimus.

Defuncti Regis Fratris Epistolæ acceptæ significat, qua Catholici Regni successionem ad se delatam Pontifici nunciat.

§. 3. Porro carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Catholicus, nec non utriusque Siciliæ et Hierusalem Rex Illustris, dignissimus demortui Regis frater, qui in tot ab illo relicta amplissima florentissimaque Regna hæreditario jure successit, humanissimas ad Nos dedit Literas, quas Venerabilis Frater Noster Joachimus Ferdinandus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Portocarrerus Episcopus Sabinensis, meritissimus Collega vester detulit. Satis autem superque vobis Venerabiles Fratres, notum est, quanto ipse Carolus Rex, Catholicæ Religionis zelo ferveat, quantum erga Apostolicam

hanc Sactam Sedem obsequium profiteatur, quantis aliis Christianis, Regisque virtutibus refulgeat. Quapropter quidquid in illius commendatione afferre possemus, et vobis, Venerabiles Fratres, minime novum accidere, et ipsius meritis inferius esse probe scimus. In hac vero præclarissima Nostra de illo opinione, atque existimatione amplius Nos confirmantur laudatæ Literæ, quibus et interitum lectissimi Fratris sui Nobis significavit, et suum filialem erga Nos amorem, et præcipue erga eandem Sanctam Sedem commostrandi cupidum se semper fore testatur. Quæ omnia Nobis prolixè pollicentur, imo certos Nos reddunt, fore nimirum ut ceptis consiliis actibusque tanti Regis, Divina favente gratia non solum egregia tot Catholicorum Regum facta æmulari, et superare debeat, verum etiam omnia ad majorem Dei gloriam, ad Catholicæ Religionis incrementum, ad Ecclesiæ decus, et commodum, ad Populorum tranquillitatem, et æternam salutem redundant, quod unice in votis habemus, quodque in humilitate cordis Nostri jugibus, ferventibusque precibus non desistimus exorare a bonorum omnium largitore, et totius consolationis Deo.

LXXXIV.

Damnat, et ne legatur prohibet opus in plures Tomos distributum, cujus est Titulus: *Encyclopedie, ou Dictionnaire raisonné des Sciences, des Arts, et des Metiers par une société de Gens de Lettres mis en ordre, et publié par Monsieur Diderot de l'Academie Royale des Sciences, et des belles Lettres de Prusse; et quant a la partie Mathématique, par Monsieur d'Alembert de l'Academie Royale de Sciences de Paris, de celle de Prusse, et de la Société Royale de Londres.*

Dat. die 5. Sept. 1759. Anno II.

Quoad perniciosorum librorum proscriptionem vide quæ supra notavimus in Constit. hujus Pontificis relata sub Num. XXXIV., nec non Constit. alteram Pontificis ejusdem sub. Numer. XXIII.

Clemens Papa XIII.

Ad futuram rei memoriam

§. 1. Ut primum in lucem prodierit spissum opus in plures Tomos tri-

Perniciosum hoc Opus decreto Sacræ

Congregatio-
nis Indici diei
5. Martii 1759.
fuit condemnatum.

butam, cujus est titulus = *Encyclopedie, ou Dictionnaire raisonné des sciences, des Arts, et des Metiers par une société de Gens de Lettres mis en ordre, et publié par M. Diderot de l'Académie Royale des sciences, et des belles Lettres de Prusse; et quant a la partie Mathématique, par M. d'Alembert de l'Académie Royale des sciences de Paris, de celle de Prusse, et de la Société Royale de Londres* = non publico tantum rumore, sed gravissimorum quoque hominum Fidei, et Religionis, zelo flagrantium iudicio accepimus, plurima in eo afferri, ac contineri, quæ non solum christianæ pietati, ac morum disciplinæ quammaxime obsessent, sed quæ Religionem ipsam impeterent, eamque vel ex imo convellere niterentur, vel summa certe ejus capita, ac dogmata labefacerent: quapropter instituto, a Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregatione Indici Librorum prohibendorum, atque expurgandorum præposita, accurato ejusdem operis examine, atque iudicio, inter Libros ab Apostolica Sede damnatos, atque proscriptos referendum esse decretum est die 5. Martii proxime præteriti

Eadem opinio habita de editione altera, licet mendis aliquibus expurgata, notisque munita, quæ tamen veneno etiam nunc infecta, dignoscitur.

§. 2. Fuere interea nonnulli qui e publica rei literariæ, et Christianæ quoque utilitate fore putantes, si, correctis, quibus scateret, erroribus, nova editione recusum, emendatumque prodiret, ad eam adornandam aggressi, adjectisque ad certa capita, seu articulos notis, idoneum periculo, ac malo omni, remedium attulisse arbitrati sunt: sed diffusum, ac serpens in opere universo venenum, cum tale non esset, quod leni curaretur antidoto, irritò plane studio, ac labore operam ipsam luserunt; neque enim legentium periculo, ac detrimento satis consultum, neque opus satis correctum expurgatumque prodixisse compertum est. Novæ subinde, ac graves adversus utramque editionem querelæ ad Apostolatam Nostram delatæ sunt, quæ pro rei gravitate auctoritatis, et vigilantix Nostræ opem flagitare videntur. Primum igitur in amaritudine cordis Nostræ vehementer dolemus, jam ad ea, quæ prædixit Salvator, devenisse Nos tempora, in quibus refrigescente charitate, atque in deterius labente merum disciplina, tum exundante per effrænam philosophandi scribendique licentiam fallacium, impiarumque doctrinarum illuvie, fides quoque ipsa, et cui innititur Divina Revelatio, impudentissime oppugnatur.

Incredulitas vero jam non tantum admittitur, sed et palam, aperteque docetur, lateque adeo propagatur, ut, si fieri posset, quam usque ad consummationem seculi permansuram Christus Jesus promissit, Ecclesia impiorum hominum doctrinis everteretur funditus, ac tolleretur; cum enim sit Civitas illa fortis per Isaiam descripta, in qua, ut exponit Hieronymus = *ponitur murus bonorum operum, et antemurale rectæ fidei, ut duplici septa sit munimento* = perversa, ac præpostera cum agendi, tum docendi ratione murum pariter, et antemurale disjicere, ac dissipare moliantur.

§. 3. Nos vero, quos posuit Dominus custodes, ac vigiles super muros Hierusalem, ut iis fortiter obsistamus, qui dicunt = *exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* = pro loci, ac muneris Nostræ ratione silere, diutius nec possumus, nec debemus, sed creditum Nobis Fidei, ac Religionis depositum, omni, qua possumus, ope, ne quid detrimenti capiat, custodire, ac tueri volentes, ne latius maneat in Ecclesiæ, animarumque perniciem exitialis operis lues, Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus adversus hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatis, opus ipsum cum adjectis quoque notis, seu correctionibus novo examini subjiciendum commisimus, qui consultis primum Theologis ad censuram ferendam designatis, eorumque iudiciis mature expensis, in Congregatione deinde Generali coram Nobis habita feria V. die 11. Augusti nuper elapsi; quid de opere ipso statuendum foret, per sua Nobis singillatim suffragia exposuerunt,

Post novum maturum examen, primam, et alteram editionem proscribendam esse censuit Sacra super Inquisitione Cardinalium Congregatio.

§. 4. Itaque, exceptis eorum sententiis, inspectisque Theologorum censuris, Motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, opus prædictum ubicumque, et quocumque idiomate, etiam cum notis, seu declarationibus, ac correctionibus quibuscumque hactenus impressum, aut imposterum imprimendum, tamquam continens doctrinam, atque propositiones falsas, perniciosas, et scandalosas, ac incredulitatem, et Religionis contemptum inducentes, morum corruptelæ, atque impietati viam facile aperientes damnamus, ac reprobamus, ipsumque legi, retineri, et quocumque etiam idiomate describi prohibemus

Hoc opus ubique, quocumque Idiomate, et etiam cum notis, et correctionibus impressum, damnatur et prohibetur Pontificia Auctoritate.

omnibus et singulis Christifidelibus etiam specifica, et individua mentione et expressione dignis, sub pœna excommunicationis majoris quoad personas seculares, quo vero ad ecclesiasticas, etiam regulares, sub pœna suspensionis a Divinis, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutio- nem, et respective relaxationem Nobis et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, excepto dumtaxat quoad excommunicationem prædictam mortis articulo, reservamus: Mandantes omnibus et singulis Christifidelibus sub iisdem excommunicationis respective, et suspensionis pœnis, qui ejusdem opns apud se habuerint, seu in quorum manus subinde pervenerit, ut illud, statim ac præsentibus nostræ Literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, seu eorum Vicariis tradere teneantur, qui exempla sibi tradita illico flammis abolenda curent. In contrarium facientibus non obstatibus quibuscumque.

Præsentis
Constitutionis
publicatio in-
dicitur.

§. 5. Ut autem eadem præsentibus Literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam pertexere possit, volumus, ac mandamus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, et Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curie generalis in Monte Citorio, et in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui: ipsarum etiam præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubicumque locorum haberi quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Septembris MDCCLIX. Pontificatus Nostris Anno secundo,

LXXXV.

Dot. die 12.
Septemb. 1759.
Ann. II.

Celebrationem Officii, et Missæ sub ritu semiduplicis in honorem S. Laurentii Justiniani, quam facultative indulxit Innocentius XII. eandem sub eodem ritu semiduplicis, sed de præcepto pro omnibus Christifidelibus ampliavit Clemens XIII.

Officium, et Missam in honorem S. Raymundi de Pennafort sub ritu secundæ Classis indicavit Innocent. XI. Constit. edit. Ann. 1687. April. 18 ut videre est in Bullario Mainardi, itemque Officium, et Missam in honorem B. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, pro certis determinatis locis concessit Benedictus XIV. constit. edit. ann. 1721. Nov. 13 nec non Missam de Spiritu Sancto pro gratiarum actione indulxit Pontifex idem in die depositionis B. Bertrandi Aquilëjensis Patriarchæ celebrandam Constit. edit. Ann. 1756. Jun. 18. perlegend. in hujus Pontificis Bullario.

D E C R E T U M

Urbis, et Orbis.

Cum S. Memoræ Innocentius Papa XII. sub die 11. Augusti 1691. obsecundans piis precibus Serenissimæ Republicæ Venetiarum, facultatem concesserit, ut in Ecclesia Universali recitari, et respective celebrari posset sub ritu semiduplicis Officium, et Missa S. Laurentii Justiniani Primi Patriarchæ Venetiarum, modo SS. D. N. Clemens Papa XIII. pro sua erga præfatum Sanctum pietate decrevit, ut ab omnibus Christifidelibus utriusque Sexus, qui ad horas Canonicas tenentur in posterum die 5. Septembris sub ritu semiduplicis de præcepto, prædicti Sancti Officium, et Missa recitari, et celebrari debeat. Die XII. Sept. MDCCLIX.

P. F. Cardinalis Tamburini Præfectus
M. Marefuschius S.R.C. Secret.

LXXXVI.

Dal. die 15
Septemb. 1759.
Ann. 11.

Confirmatio resolutionis cujusdam Congregationis particularis Eminentissimorum, et Reverendissimorum Cardinalium super jure eligendi Collegiales supranumerarios in Collegio S. Bonaventuræ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.

Collegium S. Bonaventuræ erexit, et dotavit Sixtus V. Constit. edit. Anno 1587 Dec. 17, quæ legitur in Bullario Mainardi. Constitutiones prælaudati Collegii, confirmavit Pontifex idem Constit. altera Anni 1590 April. 13, quæ in præfato Bullario non reperitur impressa.

Clemens PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Enunciatur
disputatio ha-
bita coram par-
ticulari Con-
gregatione.

§. 1. Emanavit nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a Nobis specialiter deputata in Causa Romana prætensi juris eligendi Collegiales soprannumerarios, et executionis Rescripti fel. record. Benedicti XIV. Prædecessoris Nostri die xxviii. Novembris MDCCLV. inter dilectum Filium Nostrum Alexandrum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem Albani nuncupatum, Collegii Sancti Bonaventuræ etiam nuncupati in Conventu Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum a rec. mem. Sixto Papa V. Prædecessore itidem Nostro erecti, et instituti apud Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem Protectorem, ex una, et tunc existentem Ministrum Generalem Ordinis præfati nomine ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente, ad proposita infrascripta Dubia = I. = An Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Protectori Collegii Sancti Bonaventuræ competat jus admittendi Collegiales supranumerarios, et quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu etc. = II. = An sit locus ulteriori executioni Rescripti, de quo agitur, vel potius sit consulendum Sanctissimo pro illius revocatione in casu etc. = Die xii. Augusti proxime præteriti, partibus prius plene auditis, et informantibus, Resolutio, seu Decretum tenoris sequentis; videlicet = Ad Primum = Non competere Eminen-

Bull. Rom. Tom. I.

Referuntur
dubia disputa-
tioni suppo-
sita.

Propositio-
rum dubiorum
resolutio.

tissimo Protectori jus admittendi Collegiales Supranumerarios, sed tantummodo substituendi in locum, et in casu deficientiæ alicujus Collegialis aliquem ex approbatis in concursu, qui superfuert, et consulendum Sanctissimo pro omnimoda observantia Bullæ erectionis ejusdem Sixti Prædecessoris incipien. = Ineffabilis Divinæ Providentiæ Altitudo ec. = Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domini cæ MDLXXXVII. Kalendis Januarii Pontificatus sui Anno tertio, Constitutionum Collegii prædicti a clar. mem. Alexandro, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfate Cardinali Montalto nuncupato, ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, ejusdemque Collegii tunc Protectore editarum, et a memorato Sixto Prædecessore per alias suas sub Plumbo motu proprio, incipientes = Cum nuper etc. = Datum Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Aprilis Pontificatus sui Anno quinto expeditas confirmatarum, ac Decretorum Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium, seu Resolutionum in Causa Romana juris laureandi vertente inter Eminentissimum Azzolinum, Collegii Sancti Bonaventuræ de Urbe Protectorem ex una, et Religionem Minorum Conventualium Sancti Francisci altera ex partibus = Referente Eminentissimo Columna, partibus informantibus alias editarum, quibus censuit = Quoad studium, faciendum esse tantum in quatuor Libris Sententiarum Sancti Bonaventuræ ad formam Constitutionis san. mem. Sixti V., et Collegii; quo vero ad tempus laureandi, distulit resolutionem. Romæ viii. Augusti MDCLXXXI., et die xx. ejusdem mensis, et Anni, proposito iterum in eadem Sacra Congregatione negocio, partibus itidem informantibus, referente Eminentissimo Columna, censuit = Quoad tempus laureandi, servandas esse Constitutiones san. mem. Sixti V., et Collegii, et signanter in paragrafo, Manebunt autem in Collegio etc., et recurrendum in casibus particularibus, signanter super conditione necessaria ad consequendam Lauream Doctoralem explendi integrum triennium in Collegio = Ad secundum esse locum ulteriori executioni Rescripti san. mem. Benedicti XIV. Novembris MDCCLV. nempe Sanctissimus, attento extraordinario numero eorum, qui in præsentis Anni concursu pro Collegio Sancti Bonaventuræ Collegiales numerarii, aut supranumerarii locum obtinere meruerunt,

ne quid detrimenti, aut perturbationis exinde in universi Ordinis systemate oriatur, decrevit, priores octo ex iis, qui supra numerum approbati sunt, consuetis prærogativis, et juribus gaudere, quibus gavisus sunt alii supranumerarii in antea actis Concursibus approbati. Reliquos autem (nisi novum sui experimentum præbere velint in Concursu Religionis, ubi habita ratione approbationis per eos obtentæ super quatuor Theologiæ Tractatibus, per ipsos indicandis, dumtaxat examinari debebunt) reliquos, inquam, omnes ad suos Conventus, seu alios per Superiores Ordinis ad compleendum Studiorum curriculum, sibi assignandos reverti, ibique nulla alia prærogativa, præcedentia, aut exemptione frui debeant, præterquam ea, ut post lapsum triennii ineuntis, suffragante sibi Superiorum, et Magistrorum, seu Lectorum, aut Regentium testimonio, tam super moribus, quam super continuata in Studiis diligentia, in idem Collegium Sancti Bonaventuræ pro futuro triennio, sine alio præcedenti examine admitti valeant, contrariis quibuscumque non obstantibus, attentis peculiaribus facti circumstantiis de illo tempore a Sanctitate Sua perpensis, firma tamen remanente pro futuris temporibus resolutione primi Dubii = J. Cardinalis Spinellus = Loco Sigilli =

Preces porrectæ pro relatæ resolutionis confirmatione.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus Filius modernus Minister Generalis memorati Ordinis Nobis exponi fecit, ipse Resolutionem, seu Decretum dictæ Congregationis Particularis, quo firmiter subsistat, et servetur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocínio communiti summopere desideret. Nos igitur ipsum Ministrum Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertam ejusdem Congregationis Particularis a Nobis deputatæ Resolutionem, seu Decretum, ac omnia, et singula in eo contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illorumque observantiam commendamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subblata, et decretum irritans

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Collegii etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenore præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Septembris MDCCLIX. Pontificatus Nosiri Anno Secundo.

Contrarium derogatio.